Fr. ALBERTUS M. GRECH O. P.
S. Th. Lect.

# DE CONFIRMATIONE ORDINIS FF. PRÆDICATORUM

## HISTORIA SYNOPTICA

Fr. Bern. Blanco op.

MCCXVI - MCMXVI

MELITÆ
Typis "Empire Press"
1916

Fr. ALBERTUS M. GRECH O. P.
S. Th. Lect.

# DE CONFIRMATIONE ORDINIS FF. PRÆDICATORUM

## HISTORIA SYNOPTICA

MCCXVI - MCMXVI

MELITÆ
Typis "Empire Press"
1916

ALMÆ DEI PARENTI

QVAM

PATRES NOSTRI

INSIGNIVM BONORVM MEMORES

SALVTAVERE OVANTES

AVGVSTAM ORDINIS PATRONAM

A CONFIRMATO PRÆDICATORVM ORDINE

AN. DCC FELICITER EXPLETIS

AVCTOR

D. D.

2 4454

# PRÆFATIO

*COGITANTI mihi quid, septimo labente sæculo, ab Ordine FF. Prædicatorum confirmato, proferre queam, quod tam perillustri Ordini apte digneque conveniat, hoc unum fateor mihi occurrere, eiusdem Ordinis confirmationem illustrare. Unicuique enim Ordinis Praedicatorum alumno atque amico nihil revera iucundius esse puto, antiquiusque nihil, quam mente pervolvere quo gressu S. P. Dominicus, septingentos abhinc annos Sedem Apostolicam adierit, quotve repagula perfregerit, donec Ordinem, qui, ut ait Iordanus de Saxonia, "Prædicatorum "diceretur et esset," (1) perpetuo, supremoque haberet sibi firmatum oraculo. Huiusmodi siquidem confirmatione Religio FF. Prædicatorum coram Ecclesia iuridice ac definitive nacta est perennem vitam, qua modo, veluti generosa plantatio adhuc floret, virescit, pergitque extendere palmites suos a mari usque ad mare. Hinc fit ut libenti ac grato animo aggrediar huius Ordinis recolere exordia, quæ, ut probe noscitur, confirmatione apostolica includi videntur.*

*Me tamen non utique latet, id temporis inepte forsitan suaderi quoquomodo rem nostram celebrare, cum totus ferme orbis terrarum ferro flammaque vastatur, ac per terras, perque maria pugna late crudescit. Quid igitur? Eventus ipse dignissimus est qui animo recolatur, utpote ad Ordinem attinens de Ecclesia et societate egregie meritum, de quo sic Alexander PP. IV: "Hic est Ordo Sacer Prædicatorum, honestate flori-" dus, præclarus scientia, virtute fœcundus, a Sede Apostolica merito " approbatus, qui inter alia plantaria Dominica, puritate conversationis, " sapientiæ dono, et virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus." (2) Quin tempus ipsum, quum simillimum sit XIII sæculo ineunti, id monet præcipue: utrumque enim homines præbet efferatos, Dei humanitatisque oblitos.*

*Quapropter libellum hunc de solemni confirmatione Ordinis Prædicatorum inscribere curavi, historiam eiusdem confirmationis atque vices breviter perstringens.*

*Rem in capita tria dispertiam: in primo sermo erit de præcedentibus confirmationem Ordinis; alterum ipsam confirmationem comprehendet; alterum denique de consequentibus confirmatione aget. Quidquid tamen in meo libello legeris, scias velim, candide Lector, quantum opus fuerit, historicis monumentis illustratum iri.*

*Forte rudior quam deceat erit calamus, quippe bene dicendi vacans ornatu; haud miror: at hoc unum confido, pro mei deficientia ingenii, vices ultro mihi benevolentia tua redditurum. Quare ut hoc opus, qualecumque demum sit, æqui bonique facias etiam atque etiam rogo.*

*Notabili in Conv. S. Mariæ de Crypta, Provinciæ Melitensis Ordinis Prædicatorum, die 10 Januarii 1916, occurrente festo B. Gundisalvi eiusdem Ordinis Confessoris.*

*FR. ALBERTUS M. GRECH O.P.*

---

(1) Vita B. Dominici XXVII edit. Berthier. Friburgi Helvetiorum 1891 p. 14.
(2) Const. *Cœlestis ille Agricola* d. 23 Maii 1257.

# CAPUT PRIMUM

# DE PRÆCEDENTIBUS ORDINIS CONFIRMATIONEM

## § 1. DE PRÆVISIONE ORDINIS PRÆDICATORUM.

B. Dominicum patrem atque ducem Prædicatorum laudibus extollens Ecclesia mater, hæc de eo modulatur:

" cuius ortum præcurrunt nuntia, veri præsagia " (1)

Idem quoque dicendum videtur de FF. Prædicatorum Ordine, qui longe ante praevisus praedictusque fuerat quam oriretur. Vetera siquidem historica monumenta plurima supersunt, quae ad manus nostras pervenerunt, quaeque nobis testantur, quam luculenter de Ordine hoc, eiusve nomine atque gestis, cuius ortum praevenere, encomia literis consignassent viri probitate et doctrina plane singulares, plerumque sacram scientiam callentes.

Unum audire libeat B.Humbertum de Romanis, sextum Ordinis Magistrum, qui ne Praedicatorum nomen oblivioni tradi contingat, sic habet: "Dei spiritu, quo locuti sunt Scripturarum expositores seu conditores, pro-"nunciatum est, et praedictum in expositionibus scripturarum multarum."(2)

Hic ergo congerere est veterum testimonia, quae apte exhibet Fr. Gerardus de Fracheto, inter nostrates facile antiquior, et sanae critices sensu utique notus. (3)

Primus omnium est S. Augustinus († 430), qui super verba quae habentur in Canticis Canticorum, VII-2, scilicet: Umbilicus tuus crater tornatilis, haec ait in sermone *Hodie virginale decus*: "Quid per " craterem, nisi PRÆDICATORUM intelligimus ORDINEM, qui nimirum men-" tibus auditorum cœlestis doctrinae vina propinant easque inebriant?"

Sequitur S. Gregorius Magnus († 604), qui super Ezech. II-9 ad haec: Et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber; et expandit illum coram me, ita inquit: "Sicut per prophetam PRÆ-" DICATORUM ORDO, sic per librum quem accepit scripturae sacrae " paginae designantur. Liber autem involutus est, quia scripturae sacrae " eloquium est obscurum, quod profunditate sententiarum involvitur, ut " non facile sensu omnium penetretur. Sed coram propheta liber expandi-

(1) Cfr. Breviarium iuxta ritum Ord. Praed. ad diem IV Augusti resp. IIum. (2) Expositio super Constitutiones Fratrum Praedicatorum in prol. edit. Berthier Romae 1889, p. 39. (3) Fr. Gerardus de Fracheto, alias Lemovicensis, vir extitit in historia domestica Ordinis apprime versatus, qui scripsit libellum cui titulus *Vitae Fratrum*, quem, ut Analecta Ord. Praed. Vol.IV p. 183 habent, absolvit anno 1256, atque, ut opinatur P. Reichert O. P. in editione huius operis publici iuris Lovanii 1896 facta, XIX et pag. 5 a), anno 1260 primum edidit, approbante Magistro Humberto, necnon discretioribus fratribus Ordinis in Capitulo Generali.

" tur, quia coram PRÆDICATORIBUS obscuritas sacri eloquii aperitur." (1)

Idem Gregorius Luc. XIV-17 ad verba: Et misit servum suum hora coenae dicere invitatis ut venirent, dicit: " Hora coenae finis est " saeculi, unde Apostolus: Nos sumus in quos fines saeculorum deve- " nerunt. In hoc fine mittitur servus, id est ORDO PRÆDICATORUM " ad invitatos per legem et prophetas, ut repulso fastidio ad gustan- " dam coenam se praeparent." (2).

Walafridus Strabo monachus Ord. S. Benedicti ( † 849 ) fama super aethera notus, quod Glossa Ordinaria Sacras Literas exposuit, I Paralip: XX-1. et 2. super his: Congregavit Joab exercitum et robur militiae, et vastavit terram filiorum Ammon; perrexitque et obsedit Rabba: porro David manebat in Jerusalem, quando Joab percussit Rabba, et destruxit eam Tulit autem David coronam Melchom de capite eius, "Ioab, ait, bellum inchoa- " vit, David perfecit; Christus enim bellum agit cum PRÆDICATORUM " ORDO contra mundi potentes scutum fidei opponit." (3)

Item Esther X-2 ad haec: Sublimitas qua exaltavit Mardochaeum, ita habet in glossa: "ORDINEM PRÆDICATORUM coram fidelibus et infidelibus."(4)

Item Eccli. X-4 super verbis: Utilem rectorem suscitabit in tempus super illam (intellige terram) dicit: " ORDINEM PRÆDICATORUM. " (5) XXXVIII-29 autem super his: Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, ait: "ORDO PRÆDICATORUM iuxta durum praesentis vitae laborem " qui spiritualia arma fabricat." (6) Et v. 32 eiusdem Capitis ad haec verba: Sic figulus sedens ad opus suum, subjungit: "ORDO PRÆDICA- " TORUM, qui per diversa officia ministerium suum agunt, doctrinam se- " cundum auditores temperant; qui fragiles, infirmos, verbis et exemplis " formant, ut vasa in honorem faciant." (7) Et L-11, super illud: In accipiendo ipsum stolam gloriae et vestiri eum in consummationem virtutis, habet: "ORDO PRÆDICATORUM accipiendo stolam gloriae et ve- " stiendo se consummatione virtutum, indicium dignitatis suae et orna- " tum fidei et vestitum bonae operationis demonstrat." (8)

Item Amos IX-13: Comprehendet arator messorem et calcator uvae mittentem semen, inquit: "Per hos omnes significatur ORDO PRÆDICATORUM." (9) Et Matth. IV-18 ad haec: Vidit duos fratres, ait: "Unitatem " fraternae dilectionis approbavit, sine qua nullus in ORDINEM PRÆ- " DICATORUM admittitur." (10)

Rabanus Maurus ( † 856 ) III Regum IV-27 super illud: Regis praefecti: sed et necessaria mensae regis Salomonis cum ingenti cura parabant in tempore suo. "Ne quid desit, ait, in domo regis, ORDO

(1) Haec glossemata gregoriana leguntur in Oper. Omn. S. Gregorii Magni ed. Parisiens. 1705, libr. I, Tom. IX, p. 1260. (2) Notare velis haec inveniri in Biblia Glossata Antwerpiae edita a MDCXXXIV, Vol. V, pag. 887. (3) Haec quoque in cit. Biblia Glossata Vol. I, p. 1101. (4) Haec in Bibl. cit. ib., p. 1657. (5) Haec in Bibl. cit. Vol. II, p. 2034. (6) Haec in Bibl. cit. ib., p. 2179. (7) Haec in Bibl. cit. Vol. V p. 2178. (8) Haec in Bibl. cit. Vol. II, p. 2235. (9) Haec in Bibl. cit. Vol. IV, p. 1918. (10) Haec in Bibl. cit. Vol. V, p. 89.

" PRÆDICATORUM scribendo et loquendo laborat, ut in mensa domini " abundet, unde nutriantur fideles." (1) Eiusdem vero X-20 super hoc: Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde, sic habet: " Per duodecim leunculos, PRÆDICATORUM ORDO, apostoli- " cam doctrinam sequens intelligitur. Hi super sex gradus hinc et " inde stant, quia bonorum operum gressus hinc et inde doctrinis et " exemplis munire certant."

Praeterea Ieremiae XXXVIII - 7, 8, 9, ad haec: Audivit autem Abdemelech Ætiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod misissent Jeremiam in lacum: porro rex sedebat in porta Beniamin. Et egressus est Abdemebech de domo regis, et locutus est ad regem, dicens: Domine mi rex, male fecerunt viri isti omnia quaecumque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam, mittentes eum in lacum, ita commentatur: "Iste aethiops eunuchus, qui timore et amore Dei com- " punctus, prophetam eripuit, significat PRÆDICATORES de gentibus, " qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum; qui verae cari- " tatis instinctu inique oppressos student verbo et exemplo de fovea " perditionis eruere. Quod et nomen eius testatur. Abdemelech enim " servus regis interpretatur, illius scilicet, de quo dicitur: Rex ma- " gnus super omnes deos, cui ORDO PRÆDICATORUM servit per verbum " evangelii gentes associando fidei." (2)

Hos autem sequitur Anselmus Laonensis, magni nominis theologus, qui circa annum 1103 floruit. Hic enim Esther II-21, 22, super textu: Volueruntque insurgere in regem et occidere eum. Quod Mardochaeum non latuit, ait: "Id est, ORDINEM PRÆDICATORUM."

S. Bernardus vero († 1153) in Sermone de S. Andrea, "Fluvius, " inquit, est ORDO PRÆDICATORUM, non permanens in eodem loco, sed " extendens se et currens ut diversas irriget terras." (3)

Abbas Ioachim denique († 1202), Ordinis Florensis institutor, plura de Ordine Praedicatorum ex Scripturis tamquam vaticinia duxit. (4) Sed et Gerardus de Fracheto aperte testatur quod idem Joachim "descri- " bens ordinem et habitum monuit fratres suos, ut post mortem suam " cum talis ordo (id est Praedicatorum) exurgeret, susciperent eum " devote. Quod et fecerunt: recipientes fratres cum cruce et processione quando primo venerunt ad eos." (5)

Praeter allata superius testimonia, quae scripto rem, de qua agimus, satis superque illustrant, et alia ore prolata brevitatis causa, mit-

---

(1) Haec in Bibl. cit. Vol. I, p. 701.
(2) Haec in Bibl. cit. Vol. III, p. 817, 818.
(3) Haec habentur in Oper. Omn. S. Bernardi edit. Antwerpiana, pag. 324, serm. I de mundis piscibus.
(4) Cfr. Mamachium: Annales Ord. Praed. Vol. I, Romae 1756 Libr. I, ad ann. 1216, XXXI, pag. 394 seq. et Vit. Fratrum edit. cit. p. 13 b).
(5) Vitae Fratrum loc. cit. § V.

tenda ducimus, quae studio diligentiaque scriptorum ad nos usque pervenere. Gerardo tamen duce, haud piget nos, quinam fuerint qui ea ediderunt, referre. Hi sunt ergo qui Ordinem Praedicatorum ante institutionem praenuntiarunt : S. Hildegardis († 1178), B. Bona Pisana († 1207), B. Maria Oigniacensis († 1213), Stephanus Prior Ordinis Carthusiensis, atque Guillelmus Helia († 1221) Cisterciensis Ordinis, episcopus Arausicanus. (1)

His igitur veluti praesagiis Ordo FF. Praedicatorum praeveniri ac praenuntiari apertissime cernitur, idque suadent uti factum historicum vetera monumenta mire inter se convenientia.

## § 2. DE IMPETRATIONE ORDINIS A B. VIRGINE.

Cultus B. V. in Praedicatorum Ordine res est nedum domestica atque Ordini ipsi ac singulis eius alumnis admodum familiaris, sed veluti insita. Ipso namque in Ordinem ingressu, iubentur novitii amore tenerrimo B. V. prosequi; et iuvenilia eorum corda, tamquam lacte Religionis dulcissimo, foventur affectu erga Illam, quam propterea caelestem Matrem ac Patronam nactos esse libentissime profitentur.

Id confirmare facillimum est. Sic enim novitii nostri, ipso vel saeculo tertio decimo, Ordinis primo, docebantur: "Novitii specialissi-
" mam devotionem habeant ad beatissimam Virginem Mariam, ipsam
" adorando et honorando, et ei serviendo etiam aliis quibuscumque
" modis ; tamquam ad sui devotissimam et dilectissimam Magistram
" et Conservatricem, et sui Ordinis Abbatissam; et spem specialem et
" fiduciam tamquam ad summum post Deum refugium, habeant in
" ipsam." (2)

Merito ergo B. Humbertus, qui ea floruit tempestate, in opere supra laudato enumerat octo servitia specialia, quae Ordo Praedicatorum peculiaris dilectionis gratia reddit assidue B. V. (3) Inde est quod S.P. Dominicus vestem candidam, qua ipsa Ordinem donarat, sese

---

(1) Vitae Fratrum p. 11 sqq.

(2) Libellus seu Tractatus de Instructione Novitiorum Cap. V, edit. Berthier in op. De Vita Regulari Vol. II. p. 531.

(3) Ita habet in op. cit. ad Cap. I Const. p. 71 sq.

"Facit ei (B.V.) Ordo plura servitia spiritualia, supra multos alios Ordines.

"Primum est quod incessanter per officium praedicationis laudat, benedicit, praedicat ejus Filium et Ipsam."

"Secundum est quod officium quotidianum ab ipsa inchoat, sicut dictum est,
" et in ipsa terminat, unde completorium ejus ultimo dicitur. Ipsa enim fuit
" magnum adiutorium initiandi Ordinem, sicut alibi dicitur, et speratur quod
" ducet ad finem bonum; et ideo Ordo honorat ipsam specialiter in principio
" et in fine servitii quotidiani."

suosque filios indutos voluit; atque, eo duce, Patres nostri, cum operam sedulo navarent legibus Praedicatorum condendis, primum omnium semper habuerunt, eiusdem B. V. cultum, praecipui amoris argumentum, impense fovere.

Amor tantus in Mariam nonne prodit curioso lectori innumera illius beneficia large effuseque Praedicatoribus collata? Ita est. At quis ea enarrare valeat? quis magnifica eidem Ordini facta, specialis amoris eius pignora, dicere? Id unum plane fatemur uti primum Virginis amoris signum in nos, quod Ipsa utique Ecclesiae Ordinem FF. Praedicatorum impetraverit. Prisci enim scriptores nostri historiae monumentis, quae primo aevo, imo ipsis Ordinis exordiis, edita sunt, pro certo hoc habere non cunctantur; omnes siquidem uno ore, nemine excepto, nisi factis, rationibusque fulciti, pro suo quisque conatu, id scripto comprobant.

Fr. Gerardum de Fracheto iterum adducimus, et quod hac de re nobis refert nostrum facimus, arridet quippe magnopere sententia praeclari huius scriptoris, fontes eorum, quae tradit, semper adsignantis.

In prologo ad opus saepe laudatum haec apertissime de B. Virginis amore in FF. Praedicatores disserit: "Ipsa siquidem sit funda-
" mentum et principium huius operis, quae exstitit (ut pie creditur
" et exemplis habetur) initium nostri Ordinis. Ipsa sit huius operis
" materia et consummatio, quae Ordinem impetravit a Filio." (1)

Sed et quae hic scripserit in confirmationem exhibemus. Etenim, ut refert, cuidam monacho honesta vita claro, contigit ut repente mentis excessum pateretur, immotusque tribus diebus perseveraret. Continuo post diem tertium in se reversus nihil eorum quae sibi revelata fuerant cuique prodere voluit. Paucis elapsis annis, quum, Ordine Praedicatorum iam constituto, fratres duo eiusdem Ordinis ubi aderat monachus praedicarent, rei ipse novitate perculsus, sciscitatus est qui essent,

---

"Item, in hoc quod facit specialem processionem quotidie in ejus honorem
" post completorium."

"Item, in hoc quod in introitu Missae et in eius Nominis pronuntiatione
" facit ei specialem reverentiam genuflexionum et inclinationum."

"Item, in hoc quod officium ejus quotidianum semper et ubique dicit stan-
" do, cum ad aliud officium aliquando sedeant fratres."

"Item, in hoc quod in professione quilibet de Ordine facit ei specialem pro-
" fessionem et obedientiam, cum dicitur 'facio professionem et promitto obe-
" dientiam Deo et B. Mariae' quod non invenitur in aliis ordinibus."

"Item, in hoc quod in sabbatis totum officium in ecclesia fit de ea, nisi
"in casibus rationabilibus."

"Item, in hoc quod cum de ea cantatur aliquid in ecclesia, fratres cantant
" devotius et solemnius, sicut patet in antiphonis quotidianae processionis, et
" in commemorationibus quae fiunt de ea, et in officio sabbatorum, quia
" cantatur sequentia, quasi esset totum duplex et in similibus."

(1) Edit. cit. p. 2.

quodve nomen haberent, quodve munus. Ad rem itaque cum ei responsum esset, monachus fratres accersivit, ac viris prudentibus uti arbitris et testibus adhibitis, ita eis ordinem visionis habitae est effatus: "Ea que michi Deus, sua benignitate revelavit, et silui, amplius " tacere non debeo. Quondam raptus in extasi tribus diebus et tribus " noctibus, vidi dominam nostram matrem Dei Mariam, flexis genibus " et iunctis manibus pro humano genere Filium deprecantem, ut ipsum " adhuc ad poenitenciam expectaret. Qui sepius piam matrem repellens, " tandem sic instanti respondit: Mater mea, quid possum vel quid " debeo mundo amplius facere? Misi prophetas et patriarchas ad " eorum salutem, et parum se correxerunt; veni ego et misi apostolos, " et me et ipsos nequiter occiderunt, misi martires, doctores et con- " fessores quamplurimos, nec illis acquieverunt; sed quia non est " fas, ut tibi aliquid denegem, dabo eis praedicatores meos, per quos " illuminentur et emendentur. Sin autem vindicabo me de illis et veniam " contra eos." (1)

Simile huic alterum paullo post evenit. Monachus quidam Cisterciensis Ordinis, vir grandaevus et religiosus, in abbatia Bonaevallis diœcesis Viennensis, retulit B. Humberto nostro, quod tempore, quo Abbates eiusdem Ordinis in partibus Tolosatium contra haereticos Albigenses pugnaturi degebant, accidit, ut ex ipsis Abbatibus unus per vicum iter ageret, quo populus catervatim convenerat hominem quemdam visurus, ad vitam, ut fama ferebat, revocatum. Abbas socium misit ad explorandam rem, atque inquirendum ab eo qui revixerat, quid mirabilis vidisset tempore quo extinctus fuerat. Ille vero inquirenti: " Vidi, inquit, beatam Mariam tribus diebus continuis flexis genibus " coram filio pro populo deprecantem. Cui Filius, commemorans bene- " ficia, quae mundo fecerat et e contra mala quae mundus rependebat, " dixit: Et quomodo possum amplius parcere sic ingrato? At virgo " respondit: Bone fili, non secundum eius maliciam, sed secundum tuam " misericordiam agas. Tandem eius victus precibus Christus ait: Ad " votum tuum adhuc faciam misericordiam; mittam eis Praedicatores " qui commoneant eos, et siquidem se correxerint, bene; sin autem, " non parcam." Qui vero ostentum hoc Humberto narraverat, dixit ei: "Quare sperari potest indubitanter quod ordo vester ad preces " gloriose virginis sit creatus. Unde tantum ordinem debetis diligenter " servare et beatam Mariam potentissime honorare." (2)

Tot tantisque signis, Patres nostri sibi persuasum habuerunt Ordinem Praedicatorum Ecclesiae obtentum fuisse a Beata Virgine preces Filio suo, mundi Servatori, porrigente, quemadmodum scriptis rem signantes tradiderunt.

---

(1) Op. cit. p. 7.
(2) Op. cit. p. 8 sq.

## § 3. DE RATIONE INSTITUTIONIS ORDINIS.

His praemissis, nostra nunc maxime refert, quam ob causam Praedicatorum Ordo institutus fuerit investigare, quid nempe d. Dominicum induxerit ut foecundaret suo Ordine sanctam Dei Ecclesiam.

Iordano teste, qui Dominicum patrem non solum extra Ordinem, sed et existens in Ordine satis noverat, quocum familiariter usus erat, in comperto est Beatum Patrem, quum inter canonicos Oxomenses degeret, caelestium contemplationi omnino deditum fuisse, quoniam "die noctuque terebat ecclesiam, orationi sine intermissione vaca-" bat, et redimens sibi contemplationis otia, vix extra septa monasterii com-" parebat." (1) At quamvis integer vitae, nullius noxae reus esset, numquam passus candido pectore corruptelam, nesciretque prorsus ruinam iugiter crescentem animarum, iam iam ad earum salutem procurandam videbatur sibi studio omni incumbendum, siquidem ita de eo refert laudatus Iordanus: "Fuit autem ei frequens et specialis quae-" dam ad Deum petitio, ut ei largiri dignaretur veram caritatem curan-" dae ac procurandae saluti hominum efficacem, arbitrans sese tunc " primum fore veraciter membrum Christi, cum se totum pro viribus " lucrifaciendis animabus impenderet, sicut salvator omnium Dominus " Jesus totum se nostram obtulit in salutem." (2)

Sane eventus, ex divina dispositione, Dominici optata ulterius progredi fecit. Anno enim 1203, Dominicum cum Didaco Episcopo Oxomensi in Marchias sive Daciam profecturum, matrimoniali negotio utrique ab Alphonso Rege Castellae demandato, divinior, sublimiorque missio expectabat. Veluti alter Abraham egressus de terra et cognatione sua, ac in terram alienam sui fati adhuc nescius vocatus, Pyrenaeos conscendit, Galliasque petiit, ibique caelitus ei assignatam regionem prope vidit. Ubi enim primum Tolosas pervenit, per totam inde Narbonensem provinciam corruptos mores conspexit, hominesque perditissimos, qui, regno Christi fere subverso, aras everterant, sacra violarant, haeresi cuncta vastante lateque grassante.

Tanta animarum pernicie, tantaque fidei turbatus ruina, Dominicus mente illico rem novam concepit, Ecclesiae humanitatique valde accommodam, religionem scilicet virorum, qui verbo et doctrina Ecclesiam sustentarent et animarum saluti praecipue intenderent. Idque eo magis, quo Tolosae prima nocte consistens, uno colloquio haereticum pervicacem straverat, fideique victor reddiderat. "Ex tunc, ait Bernar-" dus Guidonis, concepit infidelium conversioni operam dare, ac statum " religiosorum instituere, et ipsum praedicationi evangelicae dedicare." (3)

---

(1) Op. cit. IX, p. 6.
(2) Op. cit. ib.
(3) Catalog. Mag. Ord. Praed. cod. Rutenen. p. 77, col. 1 sq.

## § 4. DE CONSTITUTIONE ORDINIS.

Quanquam d. Dominicus ardenti charitate flagrans in proximorum salutem, plura iam aggressus erat tentamina ad haeretica fraude errantes in Ecclesiae sinum reducendos, tamen ut futuris etiam temporibus ruinae consuleret animarum, Ordinem Praedicatorum iam excogitarat instituendum. Sed zelum prudentia, scientiaque temperans, rem tam grandem, hucusque novam, prorsusque inauditam serius moliri censuit, ut, experientia magistra praeeunte, et adversa eliminaret, et opportunitatem captaret, viamque sibi ac tanto operi secundam parare posset. Praedicatorum quippe gentem constituere, eo tempore, erat veluti ecclesiasticae hierarchiae convellere fundamenta, quum praedicatores ex officio soli episcopi essent, etsi ad horam deputari quandoque ipsis inferiores consueverint; idque Ordo Praedicatorum nomine, re ac munere sui iuris esset facturus.

Anno 1205, mense martio aut aprili, Dominicus Didacusque Roma profecti, (1) quum simul in Narbonensem convenissent provinciam, atque apud Montempessulanum divertissent, re maturius perpensa, in ea fuerunt sententia, ut in hac ipsa provincia, hispanico itinere intermisso, pro fidei negotio, ingruentibus in dies Albigensium ausis, consisterent. Hic itaque, D. Pater jacendi prima fundamenta sui Ordinis praeoptatam nactus occasionem totus insudavit, ac, nomine Supprioris, quo praefecturae causa inter Canonicos Oxomenses, etiamtum vocabatur, abjecto, nomen Fr. Dominici assumpsit; (2) oppida urbesque circumcursans, totam subinde provinciam concionibus et miraculis perlustrare coepit, haereticos vel in ipsas eorum latebras strenue insequens. Opitulante autem Didaco, patrocinante vero Fulcone, Tolosatium Episcopo, veluti sapiens architectus solida fundamenta deligens, quae fortiter opus, quod sibi aedificandum iam cogitaverat, sustentarent, proximo anno, Monasterium Prulianum, in dioecesi Tolosana, Montemregalem inter et Fanum Iovis instituit, quo feminas nobiles congregavit, easque orationi contemplationi que dicandas conclusit. Hoc quidem monasterio brevi existimatione virtutum crebrescente, ob oculos Dominici Patris praesto erat, veluti eiusdem generis vitae archetypon, quo tamquam petra angulari, Ordinem constitui fulcirique parabat. Quamobrem "ex tunc coepit fortius de "Ordinis institutione tractare." (3)

Cum igitur Dominicus, toto ferme biennio una cum Didaco aliisque adversus Albigenses pugnaret, accidit ut Didacus ad suam ecclesiam reversurus e provincia discederet, qui tamen ne ex sui absentia incoeptum apostolicum opus deficere ac everti contingeret, neve haere-

---

(1) Mamachi: Op. cit. ib. ad ann. 1205, VII, p. 149.
(2) B. Jordanus: Op. cit. XVI, pag. 9.
(3) Bernardus Guidonis Op. cit. XX pag. 78. col. 2.

ticorum audacia succresceret, sociis in Narbonensi provincia relictis, unum Dominicum praefecit, eique Guillelmum Claretum Appamiensem adiutorem dedit, qui rem familiarem ad eius nutum administraret.

At Didacus postquam Oxomam pervenisset, correptus morbo paulo post ibidem interiit. Cuius vero obitus accepto nuntio, rerum narbonensium mutatio statim est consequuta. Nam " ii qui in partibus Tolo- " sanis permanserant, singuli ad propria redierunt: Sanctus vero Do- " minicus solus ibidem in praedicationis iugitate permansit: quem licet " interdum aliqui pro tempore sequerentur, non tamen ei quasi per " obedientiam tenebantur. Ex his autem suis sequacibus erant, memo- " ratus Guillelmus Clareti et Frater Dominicus quidam Hispanus, qui " postmodum in Hispania prior exstitit de Manino, " (1) atque Fr. Natalis Prulianus, qui B. Dominico adhaerens a principio, Monasterio de Prulio ab eodem d. Patre iam praefectus erat in spiritualibus. (2)

Dominicum igitur ibi versatum esse inter hostes, paucis adhaerentibus, haud vinculo religionis, sed unius dumtaxat amicitiae adstrictis, id plane divinitus evenisse fatendum est. Nam futurum patrem Praedicatorum ac Praedicatorem et ipsum sane decebat omnium in se oculos convertere, vivendi normam, praedicationi satis aptam, per seipsum sociis praebere, atque pusilli gregis unum esse pastorem: quod verbo et moribus adimplere toto animo sategit. Iam enim constat ab anno 1211 Dominicum, paupertatis cultorem et magistrum, cum sociis ac sororibus prulianis vitam in communi egisse, bona undequaque obvenientia in commune quoque dispertiisse, reque mirabiliter progrediente, primum socios fratrum nomine nuncupatos voluisse, (3) deinde, pro munere quo simul cum eis fungebatur, praedicatores, (4) demum subsequenti anno, in publicis tabulis sese ac socios, uti Ordinis Praedicatorum palam subscripsisse. (5)

---

(1) B. Jordanus: Op. cit. XX pag. 11.

(2) Echard: Scriptores Ordinis Praedicatorum. Lutetiae Parisiorum 1719, Tom. I. pag. 16 in *nota.*

(3) Mamachi: Op. cit. ib. ad ann. 1206, XI, p. 167.

(4) Mamachi: Op. cit. in Appendice Monument. col. 39, XXII.

(5) Mamachi: Op. cit. Vol. I, Lib. I, ad ann. 1207, XVI, p. 188, n. 4.

Placet hic de nomenclatura "*Ord. Praedicatorum*", quod primum B. Dominico sociisque publico instrumento est tributa, textum notae, quam legimus loco proxime laudato referre. Ita enim clarissimus scriptor: "Post impressam " typis Appendicem monumentorum, quae ad huius Annalium voluminis hi- " storiam pertinebant. editumque *n.* XXV. *col.* 40 *seq.* Simonis Monfortii diplo- " ma *anno* MCCXIII. V *Kal. Aprilis datum*, quod ex Echardo descripsera- " mus, quum in tabularium Ordinis Romanum hoc nostrum adiissemus vetera " nescio quae monumenta quaesitum, forte fortuna in exemplum ejusdem di- " plomatis unum incidimus, idque membranaceum, et vetustissimum, atque, " quod forma characterum ipsa indicat, seculo XIII ipso perscriptum. Id " exemplum quum continuo cum edito illo, impressoque contulissemus, cogno- " vimus nonnulla verba Echardo excidisse. Nam quod Echardus descripsit hoc

Interea quum adversus Albigenses Crucesignatorum copiae in partibus tolosatium pergerent dimicatum, cladesque inter haereticos late disseminarent, tandem eo devenere ut hos ad deditionem cogerent. Dominicus autem, zelo animarum magis atque magis exardescens, iam tempus idoneum agnovit, ut consilium de Ordine ad rem perduceret; quare, comitantibus sociis, Tolosas contendit, ubi, Fulcone Episcopo ac Domino Simone de Montefort adiuvantibus, totus Ordini efformando se dedit, et quidquid superat eidem Ordini constituendo, viriliter aggressus est. Auxit enim numero socios, quibus duos viros pecunia bonisque divites, Petrum Celanum atque Thomam addidit, quorum pri-

---

" modo: *Actum est hoc anno incarnationis* MCCXII. V. *Kal. Maii in castro Fani-Jo-*
" *vis in praesentia ven. P. N. Fulconis Tolosani episcopi, et domini B. de Duroforti,*
" *et domini P. Rii de Toneexl etc.* in membrana nostra sic habet: *Actum est*
" *hoc anno incarnationis Domini* MCCXII *quinto Kal. Maii in castro Fani-*
" *Jovis in praesentia ven. patris nostri F. Tolosani Episcopi, et fratris Dominici,*
" *et fratris G. Clareti, et fr. B. de Fuxo Ord. Praedicatorum, et Domini B. de*
" *Duroforti et domini P. Rii de Tonetxs etc.* porro ut apud Echardum atque
" in Appendice huius voluminis. Quae sane verba non solum ostendunt
" multo ante confirmatum Ordinem, Dominicum sociosque *fratres Ordinis Prae-*
" *dicatorum* fuisse appellatos; sed etiam *fr. B. de Fuxo* alium Dominici socium
" produnt, de quo hactenus ignoratum fuerat."

Quae de antiquitate nominis " Ord. Praedicatorum" doctissimi scriptores Annalium nostrorum retulerunt nostra facere libenter consentimus, queis utroque pollice subscribere minime diffitemur. Sed ad novum ex primaevis B. Dominici socium, "hactenus ignoratum" et ab illis adinventum, quod attinet, ut aequo faveamus, quae ipsi scripsere aliquatenus excipimus. Cum enim integer textus diplomatis, qui Echardum latuit, has tantum praebeat literas, nempe *fr. B. de Fuxo*, quis suadere valeat literam *B* pro *D* non fuisse levi momento sumptam propter quamdam graphicam similitudinem ? Hac igitur in hypothesi forte legendum esset *fr. Dominicus de Fuxo.* At quum difficultatem moveat cognomen *de Fuxo*, res adhuc nobis manet clarius explananda.

Quod ergo *fr. D. Fuxo* sit idem ac fr. Dominicus hispanus, ex hoc conjicimus, quod, teste Bernardo Guidonis, is "quasi a principio fuit individuus "comes beati Dominici in partibus Tolosanis" (cfr. Annales cit. in App. Monum: col. 366, VII); qui tamen Dominicus hispanus ex sociis Didaci Episc. Oxomensis Tolosae relictis facile unus arguitur, sic enim, ut Iordanum mittam, de eo in Vita S. Dominici ab Anonymo O. P. ante annum 1260 conscripta, postquam dictum est de reditu Didaci in Hispaniam: " Solus Frater Domi-
" nicus cum paucis sibi adhaerentibus in praedicationis indefessa continua-
" tione permansit.... Ex his vero, qui cum eo remanserant, erat Guilielmus
" Clareti de quo supra fecimus mentionem, alter vero FRATER DOMINICUS
" QUIDAM HYSPANUS, qui postmodum in Hyspania Prior extitit Demantino "
(cfr. Analect. Ord. Vol. IV, p. 302). Iam vero haud improbabile existimamus hunc fr. Dominicum hispanum fuisse ex dioecesi Oxomensi oriundum, praecipue si inter eiusdem Didaci Ep. socios ac familiares admittatur. Et quamvis apud aliquos *de Segobia* audiat, id nihil officit, quominus ex dioecesi Oxomensi dicatur. Quod enim reapse fuerit *de Segobia* ita dubium erat apud veteres scriptores, ut a pluribus hisque numero maioribus, Iordano de Saxonia praeeunte, generico nomine Hispanus vocaretur

mus aedes suas Dominico ultro concessit. (1) Sicque d. Pater cum his sociis, habitu canonicorum regularium indutis, iam ex praescripto Episcopi Tolosani praedicationi, Dominico duce, insistentibus, Ordinis Praedicatorum iniit primordia.

At Dominicus ratus eos non posse suo munere apte fungi, nisi maior scientiae copia eis adesset, constituit illos uberiore doctrina imbuere " quod facilius, tutiusque socios id consequuturos sperabat, si " scholam Alexandri, qui tum magna doctrinae, eruditionisque laude " Tolosae florebat, frequentassent." (2) Alexandri itaque scholas Dominicus sociique ingrediuntur, quibus theologiae lectiones Magister se daturum libenter pollicetur. Id forte Alexander eis spopondit, quod nocte praecedenti veluti septem stellae ei in somnis visae sunt, mirâ magnitudine et claritate, quae Tolosam primo, totum deinde terrarum orbem videbantur suis illustrare fulgoribus. Quo autem caeteris exemplo praeiret Dominicus, lectioni diligens ipse intererat, causa utique humilitatis, quum vir esset doctissimus, sacrisque literis peritissimus. Primi Praedicatores scholas Magistri Alexandri per biennium frequentarunt. (3)

## § 5. DE ACCESSU AD INNOCENTIUM PP. III.

Iam tempus advenerat quo Praedicatorum Ordo, cui gradatim efformando d. Dominicus, annis fere decem, in partibus tolosatibus insudarat, solemni oraculo Romani Pontificis tandem confirmaretur.

Tunc vero temporis rempublicam Ecclesiae moderabatur Innocentius III, vir doctrina. singularique in agendis prudentia omnium ore celebratissimus. Is autem, ne pernicies, quae iam late serpebat inter christifideles, amplior adhuc fieret, ac quo impiger casus reparando,

---

Cognomen autem *de Fuxo*, uti habetur in laudato diplomate, satis videtur oppidum Fuxolense indicare, quo olim, anno scilicet 1104, Synodus fuerat congregata, quodque est Burgensem inter et Oxomensem dioecesim. Quapropter plana est conjectura hunc fr. D. de Fuxo eumdem ut fr. Dominicum hispanum esse, quem ob allatas modo rationes Oxomensem diximus. Et ideo, quem Iordanus aliique generico nomine Dominicum dixere hispanum, ille ipse videtur esse, qui speciatim hoc in diplomate *de Fuxo* nuncupatur, quum hoc cognomen *de Fuxo* facile virum praebeat Oxomensem origine. Sint haec tamen dicta, salva meliori sententia, cui forte magis arridebit fr. D. de Fuxo, ex oppido Fuxio, quod haud multo ab Tolosa distat, oriundum habere.

(1) Donatio de qua hic, facta est publico instrumento die 25 Aprilis 1215, quod quidem omnium, quae directe ad Ordinem spectant, primum, hactenus in Tabulariis latitabat. R. P. Balmius hoc instrumentum primus invenit, ac typis edi curavit in opere quod inscripsit: Cartulaire ou Histoire diplomatique de saint Dominique. Paris 1893, I, p. 504.

(2) Mamachi Op. cit. ib. ad ann. 1215, V, p. 352.

(3) B. Humbertus: Vita S. Dominici XXXII, edit. a Mamachio in op. cit. in App. Monum., col. 283.

vita et gloria, iugi quoque triumpho catholicam fidem posset attollere, generalem Synodum indicere statuit. Missis igitur anno 1213 encyclicis literis, sacros totum per orbem disseminatos Pastores, principesque christianos, ab ortu et occasu, ab aquilone et mari Romam accivit. Summam profecto rerum, de quibus agendum esset in hoc Lateranensi Concilio, his Pontifex complecti existimabat: ut, 1° et sacra loca humanae redemptionis monumenta Christifidelibus redderentur, 2° et Albigensium haeresis funditus evulsa perpetuo sterneretur.

Interea quum iam plurima turba Patrum undique in Urbem confluueret, et Fulconem Episcopum Tolosanum Concilio interesse oporteret, hic S. Dominicum in socium, theologumque sibi adscivit.

Dominus enim Fulco testis fuit oculatus, tum de Albigensium audacia, tum de sanctimonia Dominici, qui maximum praedicatione et doctrina ferebat fructum, tum denique de Praedicatorum Ordine, iam a Dominico excogitato atque condito, quem et numero et fructu augeri in dies conspexerat. Hanc ergo opportunitatem nactus, novum Ordinem decrevit Summo Pontifici enixe commendare, ipsique quale futurum esset columen fidei, quantumve allaturum utilitatis ac decoris universae Ecclesiae, demonstrare. Itaque, relictis Tolosae fratribus, iussisque ut precibus a Deo efflagitarent optimum rei eventum, Dominicus cum Fulcone episcopo Romam contendit anno 1215, facile septembri mense vertente, certo certius haud tardius incipiente octobri. (1)

Ubi vero primum in Urbem pervenerant, illico ad Innocentium Pontificem accesserunt, ac ei exhibita pro more reverentia, acceptaque vicissim benedictione, referre curarunt impia ausa Albigensium, et ingruentia inde mala. D. Dominicus procul dubio commendante Fulcone, mentem suam Innocentio ultro pandit, sese Romam postulatum venisse confirmationem Ordinis, qui iam Tolosae constitutus fuerat, quique nomine et munere diceretur et esset Praedicatorum, utpote ex instituto ad praedicationem et salutem animarum specialiter deputatus.

Huiusmodi consilium, novum ac prorsus inauditum demiratus Pontifex, primo haesit stupore; tum verbis id licet extollere non dedignaretur, minime tamen cunctandum sibi censuit, quin palam Dominico ediceret, sese tanto negotio nequaquam obsecundaturum, "pro eo, quod " praedicationis officium majorum esset in Dei ecclesia praelatorum. " (2)

---

(1) Id evincitur, ut ex const. Innocentii III incipiente: *Justis petentium* sub die 8 Octobris 1215, quae exstat Bull. Ord. T. I, p. 1., ita ex B. Iordano, qui op. cit. XXVII p. 14 aperte ostendit diploma hoc a S. P. Dominico tum obtentum fuisse, quum ipse ac Fulco Episcopus coram Innocentio iam constitissent, eique ut reditus confirmaret Dominicus preces porrexisset.

(2) Bernardus Guidonis: Op. cit. p. 79.

At quum Pater Sanctus, ingruentibus difficilioribus, et maxime oppositis, neutiquam consuesceret animum deflectere, sed potius ad preces effundendas confugere, hisque sibi cuncta secunda efficere, responso a Pontifice Maximo iam accepto, pernoctavit orans, caelesti demum hac visione recreatus, quam Fr. Iustinus O. P., ex antiquioribus D. Dominici hagiographis unus, — 1240 — (1) tradit, quem visa narrantem sequemur.

" Quadam nocte, sic Iustinus, idem Summus Pontifex, Deo sibi " revelante, videbat in somnis quod Lateranensis ecclesia quasi suis " compagibus resoluta gravem subito minaretur ruinam. Quod dum " tremens simul ac stupens moerensque aspiceret, ex adverso vir Dei " Dominicus occurrebat humerisque suppositis totam illam casuram fa- " bricam sustentabat. Cuius quidem visionis et novitatem admirans et " significationem prudenter intelligens, sine ullo dilationis obstaculo " viri Dei et commendavit propositum et petitionem hilariter acceptavit, " hortans ut ad Fratres rediens et diligenter deliberans cum eisdem " pari voto Regulam sibi aliquam approbatam eligerent, super quam " inchoandi Ordinis promotionem firmaret et sic deinde ad ipsum ve- " niens confirmationem ad libitum reportaret." (2)

Sic igitur, teste Iustino, caelesti visione motus Innocentius, Dominicum accersivit, propositum de Ordine Praedicatorum concepto vehementer extulit, Ordinemque ipsum merito probandum *vivae vocis oraculo* decrevit. (3) Cum autem iam animo praefixisset, canone speciali in Concilio proxime celebrando expresse cavere ne amplius novis Ecclesia insti-

---

(1) Cfr. Analecta Ord. Praed. Vol. IV, p. 183 et V, p. 51.

(2) Analecta Ord. ib. p. 99.

(3) Quod Innocentius III Ordinem Praedicatorum *vivae vocis oraculo* approbaverit res est certissima, quippe historici omnes unanimiter id testantur. Quaestio tamen alia nobis occurrit absolvenda, ante an post celebratum Lateranense Concilium Ordo FF. Praedicatorum hanc approbationem sit consequutus.

Veteres scriptores nostri sic rem narrant, ut ad quaestionem huiusmodi definiendam facile possimus accedere.

Id primo habeatur certum necesse est, quod praecipua mens d. Dominici Romam ad Conc. Lateranense adeuntis fuerit, ut, hanc ipse opportunitatem nactus, Ordinis confirmationem a Summo Pontifice impetraret; hoc enim apertissime tradit Gerardus de Fracheto in Chronica Ord. Praed. dicens: "Bea- " tus Dominicus Romam ivit ad concilium generale cum episcopo Tolosano " Fulcone CAUSA PROCURANDI CONFIRMACIONEM ORDINIS." (Cfr. Vit. Frat. edit. cit. p. 323). Certum est etiam quod idem S. Pater bona sibi, fratribus pariter ac sororibus Prulianis ab Episcopo Tolosano et Comite de Monteforti collata, voluerit perpetuo confirmari ab eodem Summo Pontifice: id enim liquido refert Iordanus in op. et loc. cit. Quod autem Innocentius Pontifex ex duobus hisce postulatis, alterum quidem, confirmationem scilicet bonorum, ante Concilium concesserit arguitur ex diplomate dato die 8 Octobris 1215,

tutis augmentaretur, (1) quo forte sibi ipsi cohaerens esset, ac novus Ordo ab eo dudum approbatus futuro Concilii decreto, non videretur plane infirmari, Dominicum monuit ut aliquam Regulam ex iam appro-

---

de quo iam supra ; at quod alterum, utique praecipuum, licet primo Pontifex distulerit concedendum, tamen ante inchoatum Concilium iam dederit, hic fiet manifestum.

Sane Fr. Theodoricus de Appoldia, qui Vitam S. Dominici scripsit, subeunte XIII saeculo, Part. I, Cap. XII, nn. 61-62 allatam superius visionem tangens, ait: "Visus est primitus aliqualiter obsistere Domini Dispensator. NOCTE "ERGO SEQUENTI idem Vicarius Jesu Christi vidit in somnis, quod Ecclesia "Lateranensis, suis compagibus resoluta minaretur ruinam" (Cfr. Acta SS. Augusti I, ed. Venetiis 1750 p. 575).

Item Fr. Galvagnus de La Flamma, qui prima parte saeculi XIV floruit, in Cronica Ord. Praed. ad ann. 1215, verbis fere eisdem inquit: "Tunc beatus "Dominicus apud papam instabat pro ordine praedicatorum instituendo, quod "papa nullo modo concedere voluit. Sed EADEM NOCTE visum fuit summo pon- "tifici, quod Ecclesia Lateranensis corrueret." (Cfr. edit. Reichert 1897 p. 6).

Item Ambrosius Taegius, qui Chronicam Brevem scripsit, quam ad annum 1515 perduxit, eadem de re ait: "Cuius (nempe s. Dominici) petitioni difficilem se "exhibens, pro eo quod praedicationis officium maiorum esset in Ecclesia Dei "Praelatorum, vidit Summus Antistes IN IPSA NOCTE quod Ecclesia Latera- "nensis, Caput omnium Ecclesiarum, gravem minaretur ruinam," (Cfr. Analecta loc. cit. p. 100). In opere autem de Insigniis Ordinis Praedicatorum, Lib. II, Cap. II, XXI, ita prosequitur: "visus est primitus aliquali- "ter obsistere Domini dispensator. NOCTE SEQUENTI, idem Vicarius Iesu Christi "vidit in somnis quod Lateranensis Ecclesia, suis compagibus dissoluta, mi- "naretur ruinam." (Analecta loc. cit. p. 99). Quare habes hic, optime Lector, visionem de qua est sermo contigisse hac ipsa die, sive naturali, sive artificiali, qua d. Dominicus preces obtulerat Innocentio, ut Ordinem confirmare dignaretur: id clare ostendunt verba "EADEM NOCTE — IN IPSA NOCTE — NOCTE "SEQUENTI." Atqui Dominicus haud tardius die 8 Octobris 1215 Pontificem adierat, duplex simul postulatum oblaturus ei, quum ea die Pontifex constitutionem edidisset, qua unum Dominici postulatum implevit, altero de Ordine confirmando iam penitus rejecto. Quapropter ex Theodorico, Galvagno atque Taegio concludere fas est, visum Pontificis, quam serius excogitari potest, ea die, idest, 8 Octobris, evenisse.

Sed et Iustinus laudatus in Op. cit. haec scribit: "Cuius quidem visionis "et novitatem admirans et significationem prudenter intelligens (Innocentius III) "SINE ULLO DILATIONIS OBSTACULO viri Dei et commendavit propositum et pe- "titionem hilariter acceptavit." Idem quoque tradit Fr. Constantinus Medices in Vita S. Dominici, ante annum 1258 conscripta, n. 17. Idem Humbertus de Romanis in Op. cit. apud Mamachium in App. Mon. col. 277, XXII. Idem et Ioannes de Columna in op: De Viris Illustribus apud eumdem loc. cit. col. 361, CLIV. Ex his ergo colligimus Innocentium Pontificem huiusmodi ostento motum postero die, ut ageret *sine ullo dilationis obstaculo*, Dominico ad se vocato, Ordinis Praedicatorum approbationem concessisse. His igitur omnibus ita peractis, octobri mense Ordo Praedicatorum approbatus iam erat, quum subsequenti mense Synodus Lateranensis inchoaretur.

(1) Canon, de quo hic, talis est :

batis deligeret: quod quidem Sanctissimus vir adamussim se facturum spopondit. (1)

---

"Caput XIII. De novis religionibus prohibitis.

"Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem " inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveni- " at: sed quicumque voluerit ad Religiouem converti, unam de approbatis " assumat. Similiter qui voluerit Religiosam domum fundare de novo, Re- " gulam et Institutionem accipiat de Religionibus approbatis. Illud etiam prohi- " bemus ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere praesumat, " nec unus abbas pluribus monasteriis praesidere." Cfr. Mansi Collect. Conciliorum. Venetiis 1778, Tom. XXII, col. 1002.

(1) Decretum de Praedicatoribus instituendis, quod hoc in Concilio Innocentius edidit, perpensa eius haesitatione in Ordine FF. Praedicatorum confirmando, nullo negotio credimus sapienter, prudenterque, ac pro bono, incrementoque huius Ordinis excogitasse. Ordo enim Praedicatorum recens conditus novitatem quamdam in ecclesiam Dei videbatur inducere, ac rem hierarchicam, quasi ex instituto, quodammodo violare, quum ab Ordinariorum auctoritate prorsus alienus uni Romano Pontifici inmediate subjiceretur, atque nomine officioque ius sibi Praelatorum veluti irrogaret. His ergo moventibus, Summus Pontifex, quo forte ipsorum iura sarta tectaque noscerentur, ac novus Ordo discrimen effugeret omne, huiusmodi sanctione, quam lectori exhibemus, rem aptavit.

"Caput X De Praedicatoribus instituendis.

"Inter coetera quae ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi " Dei permaxime noscitur sibi esse necessarium, quia sicut corpus materiali, " sic anima spirituali cibo nutritur, *eo quod non in solo pane vivit homo, sed* " *in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Unde cum saepe contingat, quod " episcopi propter occupationes multiplices vel invalitudines corporales, aut " hostiles incursus, seu occasiones alias, (ne dicamus defectum scientiae, quod " in eis est reprobandum omnino, nec de cetero tolerandum) per se ipsos non " sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioeceses et " diffusas, generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctae " praedicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere et " sermone, qui plebes sibi commissas, vice ipsorum, cum per se idem nequi- " verint solicite visitantes, eas verbo edificent et exemplo, quibus ipsi, cum " indiguerint, congrue necessaria ministrent, ne pro necessariorum defectu " compellantur desistere ab incoepto. Unde praecipimus tam in cathedralibus " quam in aliis conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi " possint coadiutores et cooperatores habere non solum in praedicationis of- " ficio, verum etiam in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis, " ac coeteris quae ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc ne- " glexerit adimplere, districte subiaceat ultioni." Cfr. Mansi Op. cit. ib. col. 998.

# CAPUT SECUNDUM

# DE IPSA ORDINIS CONFIRMATIONE

## § 1. DE RECURSU AD HONORIUM PP. III.

Ut rerum eventus recta via sequamur, aliquid nunc nobis occurrit dicendum circa ipsam Ordinis Praedicatorum confirmationem, qua d. Pater Dominicus merito gavisus est eumdem Ordinem habuisse et definitive recognitum, et perpetuo in sinu Ecclesiae constitutum, oraculo Supremi Antistitis dictante. Hanc vero confirmationem in seipsa considerantes, eius quoque vim intime perpendemus.

Celebrato Lateranensi Concilio, Dominicus fratribus Tolosae expectantibus curavit quantocius bona nuntia deferre. Statim ac Fulco ad sedem redire constituerat, simul ambo, benedictione Innocentii accepta, Urbe discesserunt; itinere per Italiam confecto, Tolosam tandem pervenerunt.

Dictu haud facile est, quanto gaudio filii redeuntem Patrem plures post menses exceperint. Illis multa percontantibus, Dominicus rem ordine promit, quae sint Pontificis iussa pandens. Haud mora ; convenit inter omnes iussa pontificia adimpleri, et pro suis quisque viribus, pro tantae rei gerendae negotio sese ultro fert. Quapropter d. Dominicus, uti ad aedes prulianas B. V. novem ante annis fundamenta Ordinis jecerat, atque ibidem pro deligenda Regula cum sociis convenire decernit.

Congregatis igitur omnibus fratribus Prulii ad B. Virginis, invocatoque Spiritu Sancto, unaminiter Regulam S. Augustini elegere, "quas- " dam sibi super hac in victu et jejuniis et lectis et laneis arctiores " consuetudines assumentes." (1) Insuper, ne praedicationis officio eis contingeret quoquomodo deesse, cura temporalium bonorum sese eximere statuerunt, cum tempus adforet illis opportunum. (2)

---

(1) B. Iordanus. Op. cit. XXVII, p. 14.

(2) Certum est ex Iordano aliisque, primos Praedicatorum patres nequaquam in concilio pruliano bona quae habebant dimisisse, atque Monasterio Sororum dono contulisse. Id unum eo in conventu tunc decretum est, bona omnia, sive actu praesentia, sive futura, quaecumque tandem illa essent, abdicanda. Legem autem de bonis dimittendis serius habemus, nempe anno 1220 in Comitiis Bononiae primo celebratis, tunc enim re omnia bona perpetuo relicta sunt. Ceterum aliunde constat Ordinem Praedicatorum a Sede Apostolica cum bonorum possessione confirmatum fuisse.

Inde Pater sanctus iterum Tolosas contendit, ibique Fulco Episcopus, qui, anno licet superiori iam novum Praedicatorum Ordinem tertia parte decimarum et aedibus sacris donaverit, S. Romani templum ei concessit, quo quidem aestate illius anni 1216, claustro aedificato, Dominicus fratresque commigrarunt.

Interea Dominicus Pater, omnibus rite confectis, Bertrandum de Garriga fratribus praefecit, ac Romam denuo proficisci festinavit ad Ordinis confirmationem postulandam, eo vel amplius, quod iam infausta nuntia de morte Innocentii Pontificis volabant undique per ora.

Septembri igitur mense, Dominicus Galliam reliquit, et quo itinere pergebat, eo certior reddebatur tum de Innocentii obitu, cum de eius successore Honorio III iam electo. Hac inopinata rerum mutatione, quum complendo Ordini maxime necessarius videretur Innocentius PP. III, d. Pater haesit primum suspenso animo, vehementer veritus ne novo Pontifici Ordo probaretur. At vir Dei nulla dubietate, nulloque timore concussus, omnem spem in Deo reponens, atque B. V. negotium Ordinis enixe commendans, tot inter, quae humano obtutu existimabantur difficillima, solus ipse erecto animo constitit.

Romam itaque deveniens, illico ad Honorium III se contulit, eique de iam approbato Praedicatorum Instituto a Praedecessore accurate refert. De iussis vero monitisque Innocentii plenissime impletis, de Regula ex approbatis novo Ordini selecta, de numero fratrum aucto, deque eorum promptitudine ferendi uberes fructus verbo et doctrina certiorem reddidit, ac tandem, quod unum supererat, ut Ordinem Praedicatorum confirmare dignaretur effusa prece obsecravit. Id autem s. Dominicus tam luculenti, tamque sublimi oratione peroravit, ut Summus Pontifex, viri sanctitate, altaque mente perspecta, admirabili eius dicendi vi percitus, nulla interposita mora, Ordinem Praedicatorum iuxta conceptum consilium Dominico quam libentissime confirmaturum promisit, atque ea de re publico solemnique confirmationis diplomate sese illum quantocius donaturum.

## § 2. DE PRIORI CONFIRMATIONIS ACTU.

Honorius PP. III, quemadmodum S. Dominico sese promiserat confirmaturum Ordinem, ita promissa ampliori quo poterat modo complere curavit. Quum enim ex Lateran. Concilio novos Ordines religiosorum in Ecclesia constituere iam res utique esset ad unum Romanum Pontificem devoluta, ex cuius arbitrio prudentiaque pendere noscebantur, Honorius Pontifex, mature perpensis rerum circumstantiis, Ordinem Praedicatorum, priorem quolibet alio post idem Concilium, confirmans, omni cum solemnitate censuit hanc confirmationem elargiri: quod quidem reapse effecit, duplici quippe actu duplex pontificium diploma complectente, Ordinem nostrum confirmavit.

Perspectum sane habetur apud scriptores, nec aliunde historiae factoque discors, Honorium III ex clarissima Sabellorum stirpe oriundum, recensque ad Petri cathedram evectum, in palatio gentilitio ad S. Sabinam in Aventino monte tum consedisse, quum d. Dominicus ad eum accesserit confirmationem Ordinis petiturus. (1) Condicto ergo die, Summus Pontifex e palatio S. Sabinae discedens, ad S. Petri se contulit, quo iam convenerant Cardinales octodecim, quatuor nimirum ex ordine episcoporum, ex presbyterorum vero septem, ac totidem ex diaconorum ordine. Aderat quoque, uti facillima est conjectura, S. Dominicus, necnon ampla Praelatorum caterva.

Conventu igitur tam augusto sedente, fit primum solemnis promulgatio Apostolicae Constitutionis Ordinem Fratrum Praedicatorum confirmantis, legente diploma pontificium ipso Vice Cancellario S. Romanae Ecclesiae, tum diplomate Honorio Pontifici omnibusque Cardinalibus adsistentibus oblato, sequitur in eo omnium subscriptio. Omnium primus Summus ipse Pontifex subscribit. Per Vice Cancellarium quoque sic firmatum d. Dominico traditur in perpetuam rei memoriam, aeternumque sibi suisque, quotquot futuri essent, Ordinis Praedicatorum solemniter ab Ecclesia confirmati monumentum.

Dies erat XI Kalendas Ianuarias, Indictione V, Anno autem 1216.(2)

Diploma huiusmodi solemnis confirmationis huius tenoris est: (3)

## HONORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

" Dilectis filiis Dominico priori Sancti Romani Tolosani eiusque " fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis: " In perpetuum." (4)

"Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse pre- " sidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito " revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter " dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annui- " mus, et ecclesiam Sancti Romani Tolosani, in qua divino mancipati estis " obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis " scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut " Ordo Canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam, " in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem tem- " poribus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones,

---

(1) Mortier : Histoire des Maitres Généraux de l'Ordre des Frères Prêcheurs. Tome I, Paris 1903, p. 84.

(2) Balme: Op. cit. II, p. 77.

(3) Illud hic subjicimus ex Analect. Ord. Vol. XII, p. 262 sqq.

(4) Originale huius Const. quondam asservatum in Archivo Ord. Praed. Tolosano nunc habetur in Archiv. Departim. Tolosan.

" quecumque bona eadem ecclesia, in presentiarum iuste et canonice
" possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum
" vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante
" Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et
" illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vo-
" cabulis: Ecclesiam de Prolano cum omnibus pertinentiis suis: Hospi-
" tale Tolosanum, quod dicitur Arnardi Bernardi, cum omnibus pertinentiis
" suis: Ecclesiam Sancte Trinitatis de Lobens cum omnibus pertinentiis
" suis et Decimas a Venerabili fratre nostro Fulcone Tolosano Episcopo
" de assensu Capituli sui, vobis pia et provida liberalitate concessas,
" prout in eorundem litteris plenius continetur. Sane novalium vestrorum,
" quae propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum anima-
" lium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere pre-
" sumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos
" e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos, absque contradic-
" tione aliqua retinere.

"Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam
" in Ecclesia vestra professionem, fas sit, sine prioris sui licentia de
" eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere. Discedentem
" vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat
" retinere. In parrochialibus vero ecclesiis quas habetis liceat vobis
" sacerdotes eligere et diocesano episcopo presentare, quibus, si idonei
" fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus,
" vobis vero de temporalibus debeant respondere. Statuimus preterea
" ut nulli liceat ecclesie vestre novas et indebitas exactiones imponere,
" aut in vos vel in predictam ecclesiam vestram, sine manifesta et
" rationabili causa, excommunicationis vel interdicti sententias pronulgare.
" Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis
" ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis,
" suppressa voce, divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum,
" consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui
" ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipiatis episcopo,
" siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem sacrosancte
" Romane sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua ex-
" hibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum
" adire antistitem, gratiam et communionem apostolice sedis habentem,
" qui, nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat. Se-
" pulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum de-
" votioni et extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi
" forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen
" iustitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.
" Obeunte vero te nunc eiusdem loci Priore, vel tuornm quolibet suc-
" cessorum, nullus ibi, qualibet surreptionis astutia seu violentia, pre-

" ponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars maioris " et sanioris consilii secundum Deum et beati Augustini regulam pro- " viderint eligendum. Libertates quoque et immunitates antiquas et ra- " tionabiles consuetudines ecclesie vestre concessas et hactenus obser- " vatas ratas habemus et eas perpetuis temporibus illibatas permanere " sancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam " ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas " retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia " integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustenta- " tione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolice " auctoritate et diocesani episcopi canonica iustitia.

" Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc " nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temp- " taverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satis- " factione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque " se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratis- " simo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jhesu " Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. " Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri " Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud " districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Perfice gressus meos in semitis tuis. EGO HONORIUS CATHOLICE ECCLESIE EPISCOPUS Bene Valete.

† Ego Nicholaus Tusculanus Episcopus.
† Ego Guido Prenestinus Episcopus.
† Ego Hugolinus Ostiensis et Velletrensis Episcopus.
† Ego Pelagius Albanensis Episcopus.

† Ego Cinthius tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis.
† Ego Leo tituli Sancte Crucis in Jherusalem presbyter Cardinalis.
† Ego Robertus tituli Sancti Petri in Celio monte presbyter Cardinalis.
† Ego Stephanus tituli Basilice duodecim Apostolornm presbyter Cardinalis.
† Ego Gregorius tituli Sancte Anastasie presbyter Cardinalis.
† Ego Petrus tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyter Cardinalis.
† Ego Thomas tituli Sancte Sabine presbyter Cardinalis.

† Ego Guido Sancti Nycolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis.
† Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bachi diaconus Cardinalis.
† Ego Iohannes Sanctorum Cosme et Damiani diaconus Cardinalis.
† Ego Gregorius Sancti Theodori diaconus Cardinalis.
† Ego Rainerius Sancte Marie in Cosmedin diaconus Cardinalis.
† Ego Romanus Sancti Angeli diaconus Cardinalis.
† Ego Stephanus Sancti Adriani diaconus Cardinalis.

" Datum Rome apud Sanctum Petrum per manum Ranerii " prioris Sancti Fridiani Lucani Sancte Romane Ecclesie vicecancel- " larii, XI° Kalendas Ianuarii, Indictione V^a, Incarnationis Dominice, " anno M°CC°XVI°, Pontificatus vero domini Honorii Pape tertii anno " primo." (1)

Hoc igitur diplomate accepto, gratiisque pro numere tot tantisque pulchro sermone repensis, ab aula secessit Dominicus, atque manibus diploma tulit confirmationis, Ordinis Praedicatorum monumentum aere perennius, ac supremum suae gloriae fastigium.

## § 3. DE ALIO CONFIRMATIONIS ACTU.

Scitu dignissimum est, quod optime confert ad solemnitatem confirmationis Ordini Praedicatorum collatae, quodque omni ex parte hanc prorsus reddit singularem, eodem ipso die quo prior Constitutio Apostolica Ordinem confirmans solemniter ab Honorio III et Cardinalibus subscripta Dominico tradita est, nihilominus et aliam concessam fuisse a Summo Pontifice, quae solemnior licet praecedenti haud fuerit, maximi tamen momenti videtur, utpote priorem constitutionem explicat, extendit atque complet. Hic enim posterior actus et diploma nomen praefert unius Pontificis diploma obsignantis, amplissimisque verbis Ordinem nostrum, uti ad praedicationem et salutem animarum institutum, iterum confirmantis.

Forte d. Dominico adnitenti, qui mentis suae consilio non satis respondisse illud diploma censuit, et aliud Honorius III concessit. Nam unicuique bene consideranti, res fit manifesta, Honorium, in priori diplomate, quae maximi erant ponderis, atque ad Ordinem intimius spectantia, omnino conticuisse, neque ei in Cardinalium Consistorio placuisse de fine Ordinis confirmandi peculiari, de eius ministerio loco et tempore incircumscripto, deque ipso Ordine a praelatis quibuscumque libero solique Pontifici Maximo subdito, sermonem habere. At quod tunc non fecerat, subsequenti diplomate peragere conatus est Honorius: quod quidem bene illi successit.

Posteriorem Constitutionem, eadem die qua priorem, uti iam dictum est, dedit Honorius Pontifex, absque ullius tamen consensu praehabito, sed de suae apostolicae potestatis plenitudine, iam ad palatium Aventini montis reversus, quippe constitutionem inscripsit apud S. Sabinam.

Hac utique de re minime videtur ambigendi locus ; cum enim priori diplomate Ordinem confirmasset ex Cardinalium consilio, hoc deficiente in posteriori, totam rei gravitatem coram Ecclesia universa

---

(1) In Appendice A invenies, lector, huius diplomatis *fac-simile*.

Pontifex ipse humeris subire, sua sponte maluit. (1) Quin etiam selectiori stylo fatrum eiusdem Ordinis laudem prosequutus, Ordinem ipsum Praedicatorum cum bonis omnibus ac iuribus sub immediata S. Sedis protectione suscepit, atque tandem in perpetuum, supremo voluntatis nutu, confirmavit, confirmatumque declaravit, uti eum prius conceperat, optaverat, volueratque d. Pater Dominicus. Idque se Honorius fecisse protulit, quod, cum totius esset Ecclesiae Antistes, ac Christifidelium Pastor, et ex arce apostolica prope veluti conspexisset remota, mature perpenderat Fratres Praedicatores heroes fidei mundique lumina fore. "Nos, inquit Pontifex, attendentes Fratres Ordinis tui futuros " PUGILES FIDEI ET VERA MUNDI LUMINA, confirmamus Ordinem tuum."

Sed assertis fidem confert posterius confirmationis diploma, quod hic integrum lectori exhibetur. (2)

## HONORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

" Dilecto filio fratri Dominico priori Sancti Romani de Tolosa et " fratri bus tuis regularem vitam professis et professuris: Salutem et " apostolicam benedictionem.

" Nos ATTENDENTES fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei et " vera mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum cum omnibus ca- " stris et possessionibus habitis et habendis, et ipsum Ordinem eius- " que possessiones et iura sub nostra gubernatione suscipimus.

"Datum Rome apud Sanctam Sabinam XI° Kalendas ianuarii, " Pontificatus nostri anno primo." (3)

Constitutione ergo huiusmodi Honorius III secundo Ordinem Praedicatorum firmavit, et Dominicum, et Ecclesiam totam, quam difficillima tempestate gubernandam susceperat, novo Ordine ad sui ornamentum, ad fidei tutamen, ad salutem animarum, scientiarum decus, societatisque honorem perpetuo donavit, cuius quidem pontificii actus, post iam septem decursa saecula, nos ipsi, totusque nobiscum orbis terrarum, hodie maxima animi voluptate, et fructus uberrimos colligimus, et vaticinia impleta miramur.

---

(1) Id optime notat R. P. Mortier in Op. cit. ib. p 85.

(2) Ut praecedens, atque hoc pontificium diploma ex Analectis Ord. loc. cit. p. 266 exscribimus.

(3) De hac constitutione fuse apud Scriptores. Cfr. Bzovium Ann. Eccl. ad an. 1216, n. 9.; Bull. Ord. Praed. Tom. I, p. 4.; Malvenda Annal. Ord. ad an. 1216 ; Mamachi Op. cit. in App. Monum. col. 53 ; Echard Op. cit. ib. p. 133 ; Potthast Regest. n. 5402 ; Horoy Honorii Oper. II, 144, n. 112; Pressuti Honorii Regest. n. 196, et alios, quos brevitatis gratia mittimus.

## § 4. DE ORDINE NOSTRO UT CANONICORUM ORDINE CONFIRMATO

His de confirmatione duplici iam dictis, ulteriora nos premunt. Quare aliquid circa eiusmet confirmationis vim presse est exponendum, quae sane duo, ut opinor, praebet: quod nimirum Ordo noster iuridice fuerit in Ecclesia constitutus, Honorio Pontifice confirmante, veluti nova tum Canonicorum, cum Praedicatorum familia. Res fit luce clarior, si historiae momentis bene metiatur.

Est profecto unum quod imprimis ob oculos habeatur necesse est, d. Dominico eam fuisse mentem, ut Ordinem Canonicum conderet, cuius utique alumni professione essent Canonici. Si quis enim Librum Consuetudinum Ordinis Praedicatorum volverit, (1) ac quae in eo sunt comprehenderit diligenter, passim ibi, Dominico dictante, reperiet, quidquid essentiale ad vitam canonicam instituendam noscitur. In hoc ergo vetustissimo codice legali, Fratres Praedicatores in Canonicos, qui sunt praecipua maiorque pars Ordinis, et Conversos dispertiuntur. (2) Fratres insuper Canonici ex instituto Ordinis mancipati censentur divino cultui, (3) atque vitam communem in perpetuum profitentur, seu, ut ipsissimis verbis huius codicis utamur, "usque ad mortem;" (4) et quod maxime interest, ea omnia ad vitam canonicam spectantia, ex priscis Constitutionibus sunt,

---

(1) "Liber Consuetudinum" est antiquissimum monumentum legislationis FF. Praedicatorum. Complectitur primarias leges ab. Ordine condito sancitas in Comitiis Generalibus annis 1220 et 1221 Bononiae habitis sub B. P. Dominico, imo et leges omnes, quae ab anno 1222 ad 1228 editae sunt. Quas vero constitutiones post annum 1228 latas, Patres nostri huic codici legali inserere decreverunt, eas non in textu, quem intactum ut tunc iacebat servarunt, sed per modum supplementi extra Capitula eiusdem Libri vagantis addideruut. Anno autem 1251, remoto antiquo nomine, vocatus est Liber Constitutionum, quod nomen hactenus adhuc retinet.

Liber Consuetudinum ante a. 1236 iam editus erat; de quo si ampliora adhuc desiderentur, adeat curiosus lector Analecta Ord. Vol II, pag. 619 seqq., ex quibus hic posita depromsimus.

(2) Dist. Prim. Cap. XIII De recipiendis. Anal. Ord. loc. cit. p. 628; et Dist. Secund. Cap. XXXVII Regula fratrum nostrorum Conversorum. Anal. Ord. loc. cit. p. 647 sq.

(3) Dist. Prim. Capp, I De matutinis. Anal. Ord. loc. cit. p. 623 sq. et III De horis et de modo dicendi. Anal. Ord. loc, cit. p. 624.

(4) Dist. Sec. Cap. XXVI De possessionibus non recipiendis. Anal. Ord. loc. cit. p. 642; et Dist. Prim. Cap. XV. De modo faciendi professionem. Ad stabilitatem autem in Ordine quod spectat, ut vera mens d. Dominici dignoscatur, praeter ea, quae hic habentur, maxime confert quidquid habetur in const. *Justis petentium* ab Honorio III sub diem 7 Februarii 1217, instante S. P. Dominico, edita, qua cavetur ne professis Ordinem Praedicatorum discedere ab Ordine post emissam professionem liceat.

quas Dominicus Legifer statutas ipse firmaverat in duobus prioribus Capitulis. (1)

Sed revera mentem S. Dominici Ordo vel ipse hanc fuisse plane re et facto profitetur, siquidem Constitutiones iam laudatae officia nomenque canonici passim usurpant. Ita enim Distinctione prima, Capitulo XIII: "Conventualis prior nullum in conversum recipiat, in CANO-" NICUM vero neminem, nisi requisito consensu tocius vel maioris " partis capituli et optentu." (2) Et Dist. secunda Cap. XXXVII: "Eo-" dem tempore surgant fratres nostri conversi quo et CANONICI," et infra: "Indumenta tot habeant quot et CANONICI.... Poterunt et brevia " grisei coloris habere scapularia ad mensuram et formam scapularium " CANONICORUM. De ieiuniis cibis et abstinenciis et culpis et aliis omni-" bus sic se habeant sicut scriptum in regula CANONICORUM.... Item nullus " conversus fiat CANONICUS, nec in libris causa studendi se audeat oc-" cupare." (3) Quae omnia licet auctoritate trium Capitulorum Generalium annis 1249, 1250 et 1251 celebratorum fuerint quoad nomen canonici tantum immutata, nomine clerici pro nomine canonici assumpto, (4) quoad vim tamen nominis, quod est officium ac munus canonicorum, adhuc pleno sunt vigore et usu, quippe FF. Praedicatores sunt hodie professione canonici, quemadmodum huiusmodi exstiterunt in Ordinis exordio. (5) Qua quidem ratione forte PP. Capitulares moti, nequaquam nomen *canonici* ex capite Constitutionum delere voluerunt,

---

(1) Ut iam diximus, Liber Consuetudinum leges omnes exhibet collectas, tum quae d. Dominicum habent auctorem, cum eas quae successivo tempore editae sunt. Hic tamen lector sciat valde optamus, septemdecim Constitutiones, easque praecipuas, enumerari in Analectis Ord. loc. cit. pag. 620 sq., eodem S. Legislatore latas. Ex his ad rem nostram pertinentes sunt huiusmodi:

I. Fratres, alii professione Canonici, alii professione Laici seu Conversi nuncupati habeantur.

II. Fratres Canonici die ac nocte in ecclesiis suis divino chori servitio adstricti existant laudes Dei canendo.

III. Fratres possessiones seu redditus nullo modo recipere valeant. Cfr. Analecta Ord. ib. loc. cit.

(2) Analecta Ord. loc. cit. p. 628.

(3) Analecta Ord. loc. cit. p. 647 sq.

(4) Cfr. Acta Capitulorum Generalium Ordinis Praedicatorum ed. Reichert Vol. I, Romae 1898 pp. 44, 49 sq. et 55.

(5) Ne rem hoc modo explicantes lectori videamur ullo fulcimento carere, hic subiungendum existimamus quam ob causam usi essent Patres nomine *clerici*, suppresso ex codice nostro legali nomine *canonici*.

Universitas Parisiensis, quae anno 1221 brachiis extentis, affectuque vere materno FF. Praedicatores amplexa fuerat, tempore subsequenti torvis oculis hos intuebatur, potissimum quod insidentes cathedris theologicas disciplinas magna cum auditorum admiratione, eorumque in dies crescente numero traderent, quodque Praedicatores cum praeirent exemplo, et regulares alii, quasi e vestigio, eos docendi munere insequerentur. Ut igitur Praedicatores alios-

quod unum etiamnum restat. Sic enim in Prologo Constitutionum, nostrarum, perinde ac in editione veteris eiusdem codicis ante annum 1236 legebatur, hodie adhuc legimus: "Justum est ut, qui sub una Regula et unius " professionis voto vivimus, uniformes in observantiis CANONICÆ RELI- " GIONIS inveniamur." (1)

Quae tandem fuerit mens d. Dominici Ordinem Praedicatorum instituentis, unus pro omnibus maxime profert Honorius III in ipsa confirmationis bulla, dicens: "statuentes ut ORDO CANONICUS QUI secun- " dum Deum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia INSTITUTUS " ESSE DINOSCITUR." (2) Et hoc uno testimonio, quum gravissimi sit ponderis, si caetera adhuc deficerent, res manifesta evadit, atque omnimoda certitudine pollens.

Heic tamen alia ex aliis momenta sunt pariter afferenda, quo vim prioris confirmationis Ordini Praedicatorum collatae intimius discutere valeamus.

Rectissime notat P. Mortier naturam alicuius Ordinis regularis minime posse definiri, si unice mens Conditoris attendatur, eo quia " propositum Fundatoris, quidquid tandem sit, nihil ex se est, nihilque " valet in Ecclesia constituere, nisi ratum firmatumque Pontifici Sum- " mo habeatur. Haec dumtaxat recognitio ex munere, Ordini et vitam " confert, et formam, ut more scholastico loquamur. Secundum iura

---

que religiosos cathedra perpetuo dejiceret, post plurima secreto ac frustra tentata molimina, bellum aperte indixit anno 1252, Guillelmo Matisconensi, vulgo de Sancto-Amore nuncupato, vexillum persecutionis gerente.

Hoc tum dogmatis instar inter Magistros Parisienses vulgabatur, ius docendi, ut monachis atque Canonicis regularibus sublatum interdictumque, solis clericis competere. Ne ergo FF. Praedicatores, qua Canonici, iure docendi existimarentur destituti, neve detrimentum paterentur in scholis, quas tunc pluribus in locis laudabiliter regebant, Patres in Capitulo Generali Treviris congregati anno 1249, sequenti vero Londini, sapienter, prudenterque discrimen praevenientes, summa qua pollebant auctoritate declararunt FF. Praedicatores revera esse clericos, lege quam his verbis constituerunt: "In capitulo de reciprendis " illud: nullus recipiatur in canonicum vel conversum, etc. usque ad illud: " nullus recipiatur infra. XVIII annos, deleatur totum, et dicatur sic: nullus " recipiatur in FRATREM CLERICUM." (Act. Cap. Gen. ed. cit. pp. 44 et 49). Hisque non acquieti, anno tandem 1251, imminente persecutione, Metis, quod prius iam decreverant, perpetuo firmaverunt.

Quod autem hac de causa in Ordine Praedicatorum nomen clerici pro canonici nomine substitutum fuisset S. Thomas plane innuere videtur in opusculo edito, quo publice errores Guillelmi de Sancto-Amore sociorumque eius refutarat, atque iura Ordinis nostri defenderat. Sic enim dicit: " Item dato quod monacho " docere non liceat, non sequitur quod canonicis regularibus non liceat docere, " cum CANONICI REGULARES inter CLERICOS COMPUTENTUR." (Cfr. Op. Contra impugnantes Dei Cultum et Religionem. Edit. Roman. 1773, Part. II, Cap. II, § VI, p. 26 sq.

(1) Cfr. Constitutiones Fratrum Ordinis Praedicatorum. Parisiis 1872, loc. cit. Textu I, p. II.

(2) Cfr. sup. § 2. p. 24

" enim ita Ordo esse censetur, quemadmodum Pontifex Maximus eum, " et non aliter, vult esse." (1) Hinc inquirere est num ad mentem d. Dominici Ordo Praedicatorum fuerit acceptus ab Ecclesia.

Sane rem ita evenisse liquido patet; Iordanus enim de Saxonia sic refert: "Successor pro eo (Innocentio III) Honorius constitutus est, " quem mox adiit S. Dominicus, et juxta propositum ordinationemque " conceptam, confirmationem ordinis et omnium quae obtinere voluis- " set, plene per omnia impetravit." (2) Sed et Honorius ipse audiatur.

De Ordine Praedicatorum confirmato, atque adeo ab Ecclesia uti Ordine Canonico et Canonicorum accepto, Honorii Pontificis verba in diplomate confirmationis fidem brevissime ac perbelle adstruunt; sic enim ait : "In primis siquidem statuentes ut ORDO CANONICUS, QUI secundum " Deum et beati Augustini regulam, in eadem ecclesia INSTITUTUS ESSE DI- " NOSCITUR, PERPETUIS IBIDEM TEMPORIBUS INVIOLABILITER OBSERVETUR." (3) Quae quidem, et Honorii mentem confirmantis, ac nomine totius Ecclesiae solemniter recipientis Ordinem nostrum velut Ordinem Canonicum, et vim ipsius prioris confirmationis perspicue ostendunt.

Iam vero hic praeter eundum non est silentio quod circa vim huiusmodi confirmationis animadversione est dignum ; Pontifex namque usus est diplomate, pro novis Canonicorum Regularium collegiis, sive erigendis, sive erectis confirmandis, usurpari solito, variatis dumtaxat variandis. Quod ergo prior constitutio, Ordinis Praedicatorum confirmativa, quoad sensum plane conveniat cum aliis constitutionibus apostolicis Canonicos Regulares constituentibus haud locum dubio relinquetur, si ad invicem conferantur, ut facillime patebit inspicienti constitutiones Innocentii II *In Apostolicae Sedis* dat. die 5 Novembris 1131, *Piae postulatio* 10 Decembris 1136, *Officii nostri* 29 Martii 1137, *Desiderium* 20 Octobris 1139, *Piae postulatio* 8 Ianuarii 1142 ; (4) Eugenii III *Quoties* 28 Ianuarii, *Desiderium* 4 Maii, *Quoniam* 22 Septembris, *Desiderium* 23 Decembris, *Quoniam* eodem die editam, anno vero 1146, *Ad hoc* 2 Aprilis 1147, *Commissae nobis* 26 Novembris 1150 ac *Religiosis desideriis* 13 Februarii 1152; (5) Hadriani IV *Quoniam* 18 Februarii 1156 ; (6) Alexandri III *Effectum iusta* 22 Ianuarii 1163, *Desiderium* 17 Maii 1164, *Quoniam* 1 Iulii 1169; (7) Innocentii III *In eminenti* 27 Iulii 1198. (8)

---

(1) Op. cit. ib. pag. 42.

(2) Op. cit. XXIX p. 15.

(3) Cfr. sup. § 2 p. 24.

(4) Cfr. Bullarium Romanum edit. Taurinens. Tom. II, pagg. 369 sqq. 416 sq. 445, sq. et 457 sq.

(5) Bull. Rom. edit. cit. ib. pp. 525, sqq., 532 sqq., 534 sq., 536 sqq. 540 sq., 562 sq. et 575 sq.

(6) Bull. Rom. cit. ib p. 631 sqq.

(7) Bull. Rom. cit. ib. pp. 675 sq., 687 sqq. et 711 sq.

(8) Bull. Rom. cit. ib. p. 125 sqq.

Quod autem constitutio Honorii Ordinem nostrum firmantis consonet etiam verbis Constitutionibus eiusdem tenoris pro Canonicis Regularibus editis perspicuum est, quum Hadrianus PP. IV prior Honorio III eadem const. *Religiosam vitam* longe ante usus sit, ut die 31 Maii 1156, atque 29 Ianuarii 1157. (1) Post haec, quis, inquam, Pontificis Maximi Ordinem Praedicatorum ut Canonicorum Ordinem confirmantis, mentem prudenter inficias ibit?

Sed quo certo certius evadat hoc, urgentioribus momentis insistendum est, Honorio ipso favente.

Confirmato igitur iam Ordine Praedicatorum, hunc vocat Ordinem Canonicum, quippe in diplomate incip. *Religiosam vitam* die 30 Martii 1218, Priori Fratribusque nostris dato, eisdem utens verbis, quibus iam usus fuerat in priori diplomate confirmationis. (2) Praeterea omnibus Ecclesiae Praelatis const. *Quoniam habundavit* sub die 18 Ianuarii 1221 d. Dominicum commendans, eum vocat Canonicum, dicens: " Caritatem vestram rogamus et exhortamur in Domino, ac per Apostolica " vobis scripta mandamus quatinus dilectum filium Fratrem Dominicum " latorem praesentium CANONICUM ORDINIS memorati (id est Praedicato- " rum) pro reverentia Divina ad Officium Praedicandi, ad quod depu- " tatus est, recipiatis benigne." (3)

Honorium III sequuti Successores, mentem eius, vimque prioris confirmationis, qua Ordinem Praedicatorum donarat, satis superque produnt. Hos in confirmationem huc adducimus.

Gregorius PP. IX ne dubitaretur an fratres Praedicatores essent inter Canonicos Regulares censendi, const. *Cum tanquam* d. 9 Aprilis 1228 ecclesias Ordinis nostri declaravit Conventuales, sive Canonicas seu Collegiatas, (4) id est, pertinentes ad Collegium Canonicorum, quo nomine, ut patet ex dictis, designabantur FF. nostri. (5) Hanc vero

---

(1) Bull. Rom. cit. ib. pp. 633 sq. et 637 sqq.

(2) Bullarium Ord. Praed. Tom. I, p. 6. sq.

(3) Bull. Ord. Praed. loc. cit. p. 11.

(4) Bull. Ord. Praed. loc. cit. p. 28.

(5) Lubet hic, data opportunitate, afferre, quae in eodem Ord. Bull. Tom. VIII in Tractatu de Consensu Bullarum, Tit. I, Qu. VII, III, p. 48 legimus ea de re. " Istud ex eo concessum Privilegium, quod Summi " Pontifices Ecclesias Fratrum voluerint immunes esse moloestiis quibus, uti " videre est Capite — *Nimis iniqua* — De Excess. Praelatorum, saepius affi- " ciebantur. Quae sententia probatur erudito Viro Lucae Vvadingo in Annal. " Minorum ad annum 1252 Num. XXV: *Concessit*, inquit, de Innocentio IV " loquens, *Concessit ut Ecclesiae Fratrum, ubi Conventus aedificabantur, Con-* " *ventuales appellarentur, idque non alia de causa, quam ut Monasteria distin-* " *guerentur ab Eremitoriis, et possent Fratres uti privilegiis, et gratiis, Eccle-* " *siarum Conventualium, aut Collegiatarum, et aliarum honorabilium Congre-* " *gationum.... Eandem autem esse quoad hoc Ecclesiam Collegiatam, ac Con-* " *ventualem, constat ex Capite* — Nobis fuit — *De Jure Patronatus, ubi Glossa:* " Conventualis, *inquit*, Ecclesia dicitur, ex quo duo, vel tres in collegio sunt. "

constitutionem iterum confirmavit Innocentius IV const. eiusdem tenoris edita die 5 Septembris 1243. (1)

Quod autem impraesentiarum maximi est, illud omnino prae oculis habendum, Summos Pontifices, mire unanimiterque Honorio III consentientes, et alium S. P. Dominici Ordinem, Monialium scilicet, quae secundum Ordinis Praedicatorum instituta vivunt, saepe vocasse Ordinem Canonicum, imo ipsas Moniales, tamquam vera Ordinis Dominiciani membra habentes, nuncupasse Canonicas. Huic rei fidem praestant Innocentius IV conss. *Religiosam vitam* d. 20 Novembris 1248, Alexander IV const. duabus eiusdem tenoris, quarum prima d. 12 Aprilis 1258, alia vero d. 1 Aprilis 1261, editis, et Gregorius X const. eiusdem quoque tenoris d. 23 Martii 1275. (2) Sed et Innocentius VI const. *Tuae devotionis* sub die 5 Martii 1353 Nobili Mariae Menendae haec scribit de erigendo Monasterio Sororum nostri Ordinis: "Praecordialiter de-
" sideras quoddam Monasterium CANONICARUM Ordinis S. Augustini,
" quae sub cura et secundum Instituta Ordinis Fratrum Praedicatorum
" perpetuo vivere debeant cum Ecclesia, seu Oratorio, caemeterio,
" domibus, et aliis officinis pro certo competenti numero earundem
" CANONICARUM, fundare, et aedificare.... et plura alia ad te similiter
" spectantia pro sustentatione dictarum CANONICARUM.... assignare". (4)

His itaque omnibus serio perpensis, quae prudenti historico plusquam abunde satisfacere noscuntur, quis recto iudicio negare audeat Praedicatorum Ordinem, revera Ordinem esse Canonicorum Regularium institutione, professione, officio, et omnia ut uno complectar, ab Ecclesia uti huiusmodi acceptum atque confirmatum? Hinc ergo evidenter elicitur tota vis diplomatis Ordinem Praedicatorum primo uti Ordinem Canonicorum confirmantis. (5)

---

(1) Bull. Ord. loc. cit., p. 121.

(2) Bull. Ord. T. VII p. 22 sq. et T. I, pp. 361, 408 sq. et 529 sqq.

(3) Ne mireris, lector, quod Moniales nostrae heic Ordinis S. Augustini vocitentur. Id enim in constitutionibus pontificiis priori Ordinis saeculo, passim audiunt; at exinde ne credas facile eiusdem Ordinis potius quam nostri fuisse. Rem ita se habere, pluribus demonstrare argumentis facillimum esset mihi, nisi brevitati, quantum ex me est, studerem. Caeterum, quum Pontifices Maximi semper, sive in salutatione, sine in textu constitutionum, ubi sermo est de Monialibus Ordinis nostri, quas nuncupant Ordinis S. Augustini, ea quae sequuntur appingant, scilicet: "sub cura et secundum Instituta vel Institutiones Ordinis FF. Praedicatorum," nullo negotio concludendum est, quod "Ordinis S. Augustini" idem sit ac dicere "secundum Regulam S. Augustini."

(4) Bull. Ord. Tom. II, p. 243.

(5) Praeter hucusque adducta, et ex aliis vim prioris confirmationis Ordinis Praedicatorum adhuc expendere valemus; at brevitatis studio id omittere censemus. Si velit studiosus lector de Canonicatu Ordinis nostri fusiora scire, adeat Scriptores nostros, praecipue Mamachium Op. cit. ib. Lib. II, pagg. 455 sqq., atque inter modernos P. Mortier Op. quoque cit. ib. pagg. 31-57, quos libentissime hac in parte sequuti sumus.

## § 5. DE ORDINE NOSTRO UT AD PRAEDICATIONEM CONFIRMATO.

Praedicatorum Ordo ,in sua iuridica constitutione per Apostolicam confirmationem habita id sibi veluti quoddam peculiare est sortitus, ut nedum solemniter fuerit confirmatus ab Apostolica Sede, verum etiam ut duplici, quemadmodum superius diximus, confirmatione donatus existeret, solemni alia, alia vero singulari: utraque revera duplici proposito S. Dominici instituentis e vestigio respondente. Ut enim d. Pater virum canonicum in se ipso perficere conatus fuerat viro plane apostolico, quamobrem Ecclesia de eo canit: " Tandem virum canonicum auget " in apostolicum", (1) atque Ordinem Canonicorum apostolico munere auctum constituere sategit.

Ordini Canonico, uti voluerat d. Dominicus, iuridica et solemnis existentia collocata est diplomate prioris confirmationis, quo quidem uno, ut de more erat, erigebantur, vel erecta perpetuo firmabantur, Canonicorum Familiae. Ordini vero, uti ad vitam apostolicam per praedicationem ex officio exercendam deputato, iuridica existentia concessa est posteriori confirmationis decreto.

Teste Iordano, omnium qui de S. P. Dominico scripsere, primo, qui et mentem eiusdem plenissime agnoverat, pro comperto habetur Dominicum ad Summum Pontificem eo consilio accessisse, ut is confirmaret " ordinem qui Praedicatorum diceretur et esset." (2) Huic autem rei maximum praebent testimonium scriptores omnes mira consensione convenientes. Quapropter, et nomen et officium Praedicatorum in optatis, inque animo haerebat d. Dominici Ordinis confirmationem ab Ecclesia petentis. Quod certo, quum sicut voluerat minime adeptus esset priori confirmatione, sequenti gavisus est quam latius obtinuisse ea ipsa die, Honorio utique bulla *Nos attendentes* favente.

Profecto Innocentius PP. III vivae vocis oraculo, Dominico Patri approbavit Ordinem, qui ex instituto praedicationi incumberet. Honorius vero successor id perpetuo ratum habuit, publicisque Ecclesiae tabulis inscripsit. Hic namque, alta a longe prospiciens, ac futura divinans, Dominico petenti confirmationem, quae intimius, expressiusque finem praecipuum Ordinis prodat, constitutione ita edixit scribere: " Nos " attendentes fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei et vera mundi " lumina, confirmamus Ordinem tuum " (3)

Quis umquam sincera mente ambigat de Pontificis voluntate, Ordinem confirmantis uti ad praedicationem institutum, quum ea praeclarissima verba effuderit atque scripto tradiderit? Neminem, dico, unum. Fidem enim Christi

---

(1) Brev. iuxta ritum Ord. Praed. ad d. IV Augusti, Ana. 1, II noct.
(2) Op. cit. XXVII, p. 14.
(3) Cfr. supr. § 3, p. 28.

tanquam pugil tueri, ac eam erecto animo propugnare, mundique lumen evadere nullis fateor aptius convenire, nisi viris ex instituto praedicationi insistentibus. At iudicium hoc firmat Honorius ipse, tutumque reddit omni ex parte.

Uti const. *Religiosam vitam* genuinum sensum vimque depromsit Honorius III sequentibus aliis, et const. *Nos attendentes* posterioribus idem effecit.

Prima omnium sequentium est constitutio, qua Summus Pontifex, mense nondum elapso ab Ordinis edita confirmatione, palam nomine Praedicatorum S. Dominicum fratresque novi conditi Ordinis donat in ipso vel titulo dicens: "Honorius Episcopus Servus Servorum "Dei, dilectis filiis Priori et Fratribus Sancti Romani PRAEDICATORIBUS " in partibus Tolosanis." (1) Insuper in eiusdem textu constitutionis fusiori calamo eosdem fratres non solum selectissimis cumulat laudibus, sed et eorum ministerium extollit, eis praedicationis officium imponens, eosque iubet omni studio huic operam navare, ac, ut bono sint animo, et adversa fortiter perferant, hortatur, caelestia tandem praemia pro exantlandis laboribus eis ominatur.

Quo tamen lector ita esse, quemadmodum affirmamus, dignoscere queat, diploma Honorii Pontificis heic ex integro subjicimus, (2) quod est huiusmodi:

" HONORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, dilectis filiis " Priori et Fratribus Sancti Romani Praedicatoribus in partibus To- " losanis, salutem et apostolicam benedictionem.

" GRATIARUM omnium largitori gratiarum dignas referimus ac- " tiones, in gratia Dei que data est vobis, in qua et statis et stabitis " finaliter, ut speramus; quia interius caritatis flamma flagrantes, " exterius fame fragratis odore, qui et sanas delectat et reficit mentes " infirmas; quibus etiam, ne remaneant steriles, spirituales mandragoras, " tamquam studiosi medici, exhibentes, eas semine Verbi divini vestra " salutari facundia fecundatis: sic, velut servi fideles, talenta vobis " credita erogantes, ut eadem reportetis Domino geminata: sic, sicut " invicti Christi Athlete, scuto fidei et galea salutis armati, non timentes " eos qui corpus possunt occidere, Verbum Dei, quod est penetrabilius " omni gladio ancipiti, magnanimiter contra fidei exeritis inimicos: " sic in hoc mundo vestras animas odientes, ut in vitam eternam cu- " stodiatis easdem. Ceterum quia finis non pugna coronat, et currentibus " in stadio virtutibus universis sola perseverantia bravium accipit desti- " natum, caritatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica " vobis scripta mandantes et in remissionem vobis peccaminum iniun-

---

(1) Cfr. const. *Gratiarum omnium* d. 21 Ianuarii 1217, de qua mox dicemus.

(2) Ex Analectis Ord. Vol. XII, p. 266 sq. illud exhibemus.

" gentes, quatinus magis ac magis in Domino confortati, evangelizare " Verbum Dei studeatis, oportune importune instantes, et opus evange- " liste laudabiliter adimplentes. Si quas autem propter hoc, tribulatio- " nes passi fueritis, non solum eas equanimiter toleretis, sed glorienimi " cum Apostolo in eisdem gaudentes, quia digni habiti estis pro nomine " Jhesu contumelias sustinere. Hoc enim leve ac momentaneum tri- " bulationis immensum pondus glorie operatur, ad quam non sunt con- " digne huius temporis passiones. Nos quoque, intendentes vos tanquam " speciales filios favorabiliter confovere, petimus ut pro nobis offeratis " Domino vitulos labiorum, si forte quod nostris meritis non valemus " vestris suffragiis assequamur. Datum Laterani, XII° Kalendas feb- " ruarii, Pontificatus nostri anno primo." (1)

Praeter hoc solemne pontificium documentum, et alia nobis facillime praestat idem Pontifex, quibus aperte fatetur Ordinem, quem D. Dominico firmarat, uti ad praedicationem ex instituto confirmasse.

Sane quatuordecim enumerantur Honorii constitutiones ab Ordine confirmato, quae, Beatissimo Dominico Patre adhuc in vivis agente, rem amplius confirmant.

In costitutione enim *Si personas religiosas* d. 11 Februarii 1218, universae Ecclesiae Praelatis commendans FF. Praedicatores, ait: "Ro- " gamus..... quatenus dilectos filios latores praesentium Ordinis Prae- " dicatorum, quorum utile Ministerium, et Religionem credimus " Deo gratam, in eorum laudabili proposito confoventes ad OFFI- " CIUM PREDICATIONIS, AD QUOD DEPUTATI SUNT, curetis benigne " recipere. " (2) In const. *Cum qui recipit* d. 11 Novembris 1219 ita scribit Prelatis universis: " Universitati vestrae viros Praedicatores Ec- " clesiae Sanctae pernecessarios, pro eo quod ministrant pabulum Verbi " Dei, merito commendamus.... Hinc est quod dilectos filios Praedi- " catores, qui paupertatem, et regularem vitam professi, VERBI DEI " SUNT EVANGELIZATIONI TOTALITER DEPUTATI vobis duximus propen- " sius commendandos."(3) Item in const. *Dilecti filii* d. 8 Decembris eiusdem anni omnibus Praelatis scribit: " Ipsos (FF. Praedicatores) igitur, " quorum et propositum sanctum et Ministerium necessarium arbitramur, " Universitati vestrae affectuose duximus commendandos, caritatem ve-

---

(1) Originale huius Constitutionis asservatur in *Archiv. Departem de l'Aude*, in Gallia.

(2) Eodem modo in conss. *Si personas religiosas* d. 26 Aprilis 1219, et dd. 15 Novembris, 28 eiusd. mensis, ac 13 Decembris. Cfr. Bull. Ord. I. p. 7 sq., et Anal. Ord. Vol. III, p. 250 sq.

(3) Eodem modo in const. incip. *Cum qui recipit* d. 4. Februarii 1221. At in const. tum 29 Martii, cum 28 Maii eiusdem anni, et incip. quoque *Cum qui recipit*, haec habentur variata: " Hinc est, quod dilectum filium fratrem " Dominicum Priorem Ordinis Praedicatorum, qui paupertatem et vitam regu- " larem professus, VERBI DEI EST EVANGELIZATIONI TOTALITER DEPUTATUS." Cfr. Analecta loc. cit. p. 308 sq. et Bull. Ord. loc. cit. p. 12.

" stram rogantes, et exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis " scripta mandantes, quatenus pro reverentia Divina AD OFFICIUM PRAE- " DICANDI, AD QUOD DEPUTATI SUNT, benigne recipientes eosdem.... li- " beraliter assistatis." (1) Praeterea in const. *Quoniam abundavit* sub die 6 Maii 1220 Archiepiscopo Tarraconensi Fratres Ordinis commendat dicens: "Ordinem Fratrum Praedicatorum, sicut credimus, Dominus su- " scitavit, qui non quae sua sunt, sed quae Christi, quaerentes, tam " contra profligandas haereses, quam contra pestes alias mortiferas " extirpandas SE DEDICARUNT EVANGELIZATIONI VERBI DEI." In alia vero const. eiusdem tenoris edita d. 18 Januarii 1221, omnibus Ecclesiae Praelatis commendans S. Dominicum, ita prosequitur: "Per Apo- " stolica vobis scripta mandamus, quatinus dilectum filium Fratrem " Dominicum latorem praesentium Canonicum Ordinis memorati (sc. " Praedicatorum) pro reverentia Divina ad OFFICIUM PRAEDICANDI, AD " QUOD DEPUTATUS EST, recipiatis benigne." (2) Insuper in const. *Cum is qui Ecclesiam* d. 23 eiusdem mensis et anni scribit B. Dominico et FF. Ordinis hoc modo: " Cum is qui Ecclesiam suam nova semper " prole faecundat.... pium inspiraverit vobis affectum, quo amplexi pau- " pertatem, et regularem vitam professi, VERBI DEI EXHORTATIONI VA- " CETIS, evangelizantes per orbem Nomen Domini Jesu Christi. " (3) Tandem in alia const. incip. *Cum paupertatem* d. 10 Februarii subsequentis, data similiter d. Dominico Fratribusque nostri Ordinis, ita Honorius eos alloquitur: " Cum paupertatem et vitam profiteamini regula- " rem INSISTENTES, EX PIO, quem vobis Dominus inspiravit, AFFECTU " EVANGELIZATIONI VERBI DEI, quo populus Christianus numero et " merito ampliatur. " (4)

Ex his ergo, tanquam selectioribus Honorii PP. III constitutionibus, liquido elicimus, eumdem Pontificem, posteriori edito confirmationis diplomate, Ordinem nostrum ut ad praedicationis officium deputatum, suprema suae voluntatis sanctione, in Ecclesia acceptasse, acceptumque perpetuo confirmasse. (5)

---

(1) Bull. Ord. loc. cit. p. 8.

(2) Bull. Ord. loc. cit. p. 10 sq.

(3) Bull. Ord. loc. cit, p. 12.

(4) Bull. Ord. loc. cit. ib.

(5) Honorio III Successores quamplurimi consentiunt, Ordinemque nostrum ad Praedicationis munus confirmatum in Ecclesia una voce agnoscunt. Hos tamen mittendos ducimus, ne longiores debito iudicemur. Caeterum si curiositati lector favere cupiat, adeat, precor, Bull. Ord. Tom VIII, Tract. de Consensu Bullarum, Tit. VII, Quaest. VI, pag. 320 sqq. ubi copiose de re inveniet.

## § 6. DE NOMINE PRÆDICATORUM.

Hactenus de confirmato Praedicatorum Ordine ; at nunc operae pretium est de huius nominis origine, quo tantopere Ordo noster gloriatur, paullo fusius dicere.

Ex superius allato monumento certo certius eo quidem nomine d. Dominicum sociosque iam tenendum est ab anno 1212 usos fuisse ; (1) sed privata tantum auctoritate. A quo demum nomenclatura haec iuridice eisdem indita fuit ?

Inter sequioris aevi Scriptores, exteros certe, aliquatenus disceptatum est. Ut verum fatemur, duo gravissimi scriptores nostri causa fuerunt cur in hoc posteriores quidam dissentire cogerentur; quippe Fr. Stephanus de Salanhaco rem Innocentio III detulit, Fr. Thomas vero Cantimpratensis Honorio PP. III. Cui adhaerendum sit, ex momentis historicis ad limam deducendis unice pendebit.

Fr. Thomas Cantimpratensis († 1272) his rem prosequitur verbis: " Ratio nominis Ordinis Praedicatorum. — Et hinc quidem nacta occasione " videndum est Praedicatorum Ordo qualiter tali nomine sit vocatus. " Cum enim Ordo confirmari ab Apostolico debuisset, praecepit notario, " ut in inscriptione Ordinis *Fratres Prædicantes* poneret. Qui ordinans " litteram confirmationis, *Fratres Prædicatores* posuit recto modo. Littera " ergo inspecta, Apostolicus dixit notario: ' Ut quid, secundum quod " tibi dixeram, non posuisti *Fratres Prædicantes*, sed *Prædicatores* po- " nere voluisti. ' Tunc ille constanti vultu respondit: ' *Prædicantes* " inquit, nomen est adiectivum, licet a participio substantivari posse " concedatur, et est commune nomen in actu : *Praedicatores* vero no- " men est proprie substantivum, et est nomen verbale simul et per- " sonale, in quo nomen officii manifestissime declaratur.' Vide ergo, " lector, quam veridice notarius ad obiecta responderit. *Praedicans* enim " nunquam significat rem suam, nisi per modum actus. *Praedicator* " vero significat rem suam per modum habitus, licet non sit semper " in actu ; et ideo debuit poni congrue *Praedicator*. Consentiente ergo " Domino Apostolico evidentissimae rationi, Ordo intitulatus est nomine " *Praedicatorum* ; et inter Cardinales solemniter confirmatus." (2)

Serio verba Cantimpratensis perpendenti, fit illico manifestum Thomam nostrum potius rationi huius nomenclaturae, quam historiae atque origini investigandae, definiendaeque insudasse. Quoad primum, fidem utique faciunt ipsa eius verba, quibus de nomine Praedicatorum multa philologice congerit atque disserit. Quoad vero aliud, certiores quoque reddimur, Cantimpratensem evidenter in errorem inductum fuisse. Siquidem contra rei veritatem putat nomen Praedicatorum

---

(1) Cfr. Cap. I, § 4 p. 15.

(2) Bonum universale de Apibus Lib. I, Cap. IX, n. 5, edit. Duaci 1627.

primo datum fuisse Ordini literis confirmationis, eo quia notarius "or- " dinans litteram confirmationis, *Fratres Praedicatores* posuit recto modo." At hoc est prorsus ab omni specie veri alienum. Etenim certissimum est, neutrum ex duplici diplomate confirmationis iam supra allato, nomen Praedicatorum prae se ferre. Neque vero Cantimpratensem fulcire queunt doctissimi Editores Actorum SS. opponentes diploma quod incipit: *Gratiarum omnium* ab Honorio III editum sub die 21 Januarii 1217, quo primum fit mentio de huiusmodi nomine, quoniam in eius "epi- " graphe, aiunt, contingere potuit illud, *quod mox ex Thoma Cantipratano* " *retulimus.*" (1) Id enim pro certo habeatur necesse est, quod laudatum diploma nequaquam est diploma confirmationis, quum tamen Cantimpratensis de ipso confirmationis diplomate expresse faciat mentionem dicens: " ordinans litteram confirmationis." Quapropter Cantimpratensem errore deceptum fatemur, eique hic fidem adimere valde cogimur.

Fr. Stephanum de Salanhaco († 1290), virum sane, omnium judicio, peritissimum historiae nostrae, sequemur, qui Innocentium III nomen Praedicatorum nostro Ordini donasse apertissime testatur, dicens: " Celebrato siquidem Lateranensi Concilio anno Domini MCCXVI, Sum- " mus Pontifex ordinans quaedam circa negotium fidei in partibus To- " losanis agenda et decernens super hiis scribere B. Dominico et hiis " qui cum eo erant, accito notario dixit ei : sede ; scribe super hiis " Fratri Dominico et sociis suis in haec verba: et stans paululum, " noli scribere, inquit, sic ; sed hoc modo : Fratri Dominico et cum eo " praedicantibus in partibus Tolosanis etc. Statimque aliquandiu con- " siderans plus: sic, inquit, scribe: Magistro Dominico et Fratribus " Praedicatoribus etc. et surrexit. Sic dixit Dominus, scripsit notarius. " Nutu Dei praesens tunc Romae aderat Pater Sanctus, qui audito " verbo Domini totius mundi Vicarii Iesu Christi gavisus est gaudio magno " valde. Nam deinceps in Curia et ubique ipse et filii eius coeperunt " se Fratres Praedicatores vocare, coeperuntque in Curia et ubique ab " omnibus sic vocari juxta illud Isaiae 62 : Vocabitur tibi nomen " novum, quod os Domini nominabit." (2)

Quidquid de historica origine nominis Praedicatorum tradit Stephanus noster, recentiores fere omnes passim amplectuntur, (3) Cuperum sociosque dummodo excipias. Is enim testimonio Salanhaci totam vim

---

(1) Acta SS. Augusti I. in Comm. praev. ad vitam S. Dominici § XXV, n. 469, edit. Venet. 1750, p. 449.

(2) Tract. de quatuor in quibus Deus Praedicatorum Ordinem insignivit. Part. II De glorioso nomine Praedicatorum.

(3) Cfr. Anonymum saec. XIV apud Martene Collect. Ampliss. Veterum Scriptorum et Monumentorum T. 6, coll. 334 et 347. Iacobum de Susato in Chronica Ordinis, Albertum Castellanum, Sebastianum de Olmeda, Taegium, Bzovium ad an. 1215, Malvendam ad ann. 1216, Mamachium ad ann. 1216 reliquosque.

eripere nititur, eumque simul refellere. (1) At perperam. Tribus enim prioribus contra Salanhacum obiectis optime respondet Mamachius, (2) eaque solvens, Cuperum demonstrat inconsideratione deceptum; et ideo haud immoramur his solvendis. Hic tantum ex nostro adducimus responsum unum praecipuo Cuperi obiecto.

Clarissimus Scriptor, loc. iam laudato ad n. 464, totus incumbit Stephani testimonio infirmando, quasi is, quod hac in re narrat, primus adinvenerit, ut recentiores eo praeeunte, decepti sint. Ait namque Cuperus: "*Sed antiquissimus ejusdem traditionis assertor, quem "hactenus novimus, allegatur Stephanus de Salanhaco.*" Et paulo inferius: "*Quicumque similes recentiorum auctorum narrationes cum "hac conferre voluerit, haud difficulter perspiciet, omnes illas ex hoc "primo, ni fallimur, fonte prodire.*"

Libenti animo Cuperum monitum volo, huius narrationis assertorem nequaquam Salanhacum esse habendum; eo quia, ipso antiquior iam id nobis profert Fr. Iustinus iam laudatus in vita S. Dominici, quam circa annum 1240 scripsit, (3) quo utique fonte, Salanhacus ipse eisdem fere verbis narrationem, quam tradit, hauserat. Verba autem Fr. Iustini Salanhaco antiquioris ita se habent: "Celebrato itaque La- "teranensi concilio, Innocentius Tertius Papa, ordinans quaedam circa "negotium Fidei in partibus Tolosanis agenda et determinans super "hiis scribere Beato Dominico et hiis qui cum ipso erant, accersito "notario, dixit ei: sede; scribe super hiis Beato Dominico et sociis "suis in haec verba. Et stans paullulum; noli, inquit, scribere sic, "sed hoc modo: Fratri Dominico et cum eo praedicantibus Tolosanis "etc. statimque aliquantulum plus considerans sic inquit: scribe: "Magistro Dominico et Fratribus Praedicatoribus etc. et surrexit. Sic "dixit Dominus, sic scripsit Notarius nutu autem Dei. Praesens tunc "erat Romae Pater sanctus qui, audito verbo Domini totius mundi, "scilicet Summi Pontificis Vicarii Iesu Christi, gavisus est gaudio ma- "gno. Nam deinceps in curia et ubique ipse et filii eius caeperunt "se Fratres Praedicatores vocare: caeperuntque in curia et ubique ab "omnibus sic vocari, iuxta illud Isaiae 62: vocabitur tibi nomen no- "vum, quod os Domini nominavit." (4)

His autem verbis non solum Stephani de Salanhaco serius scribentis firmatur auctoritas, verum etiam et fons praecipua, tum eiusdem Stephani narrantis, cum recentiorum omnium patentissime proditur. Atque adeo quam fuerit deceptus Cuperus, Salanhacum inventorem huius narrationis asserens, satis inde superque est manifestum.

---

(1) Act. SS. loc. cit. nn. 465 et 466, p. 449.
(2) Op. cit. ib. p. 392 sq.
(3) Cfr. Analect. Ord. Vol. IV, p. 183.
(4) Analect. Ord. Vol. V, p. 99 sq.

Neque movere potest quod Cuperus post Echardum in ea sit sententia ut Fr. Iustinum, de quo hic, fictitium putet, ac ab Fr. Constantino Medice Urbevetano haud secernendum, (1) et propterea, quidquid Salanhacus ipse ex eodem Iustino desumpserit quoad originem atque auctorem nomenclaturae Praedicatorum, penitus corruere.

Quod enim res non ita se habeat, quemadmodum existimat cum Echardo Cuperus, a quibus certe dissentimus, Mamachio duce, facile probamus. "*Nam Taegius non Constantini modo, sed etiam Iustini locos de-* " *scribit. Id vero numquam fecisset*, si Iustinum longe fuisse *diversum* " *a Constantino suspicatus esset. In Chronico enim ampliore* tom. 1. ad " annum MCCV, fol. 2. pag. versa *Taegius Justinum nominans:* Frater " Justinus in legenda, *inquit.* Legitur in gestis nobilis viri, sic " nominati Simonis de Montfort etc. *Allatis autem Justini verbis, quo-* " *rum in Constantini exemplis ne vestigium quidem extat mox addit:* " Frater Constantinus in legenda etc. Cum enim tunc temporis inter " catholicos etc." (2)

Praeterea his addendum in confirmationem, quod, dato sed non concesso Fr. Iustinum diversum a Constantino non fuisse, is tamen prior scripserit, quum Legenda Constantini, Cupero ipso fatente, ante annum 1247 iam exarata esset, (3) atque ab Echardo tamquam anterior in ordine Scriptorum nostrorum recenseatur. (4) Sic ergo in utraque hypothesi, quam certius eruitur in ea re narranda Stephanum de Salanhaco tempore praecessum fuisse ab alio, sive Iustino, sive Constantino, a quo narrationem de Ordinis nomine mutuatum, eam scriptis suis inseruisse. Quae sane omnia luculenter abnuunt huiusmodi narrationis Salanhacum primum traditionem invexisse, et ipsi Salanhaco vim auctoritatis sibi heic debitam, ac ab Cupero incaute ereptam, ex toto reddunt, atque satis probant Praedicatorum nomen Ordini collatum ab Innocentio PP. III, quemadmodum ex Iustino tradit Salanhacus, revera fuisse.

Caeterum appellatio Praedicatorum eidem Ordini perpetuo adiudicata est post editum Honorii III diploma *Si personas religiosas* d. 11 Februarii 1218: exinde enim definitive atque habitualiter ad haec usque tempora, ut Honorius ipse, ita eius Successores, in apostolicis constitutionibus Ordinem nostrum " Praedicatorum, " Fratres vero eiusdem Ordinis "Praedicatores" nuncuparunt.

---

(1) Act. SS. loc. cit. § II, n. 27, p. 362 sq.
(2) Op. cit. Praefat. XVII, p. XLIII.
(3) Act. SS. loc. cit. § I, n. 10, p. 359.
(4) Echard Op. cit. ib., pp. 153 et 415 sq.

# CAPUT TERTIUM

# DE CONSEQUENTIBUS CONFIRMATIONEM

## § 1. DE PRÆDICATORUM ORDINE LAUDES SUMMORUM PONTIFICUM MERENTI.

Iam ad hoc caput huius synopticae historiae prope accedentes, quid dicturi sumus lectori hic paucis proponimus, quo mentem nostram evidentius agnoscere valeat.

Mens ergo nostra minime est omnia complecti, quae temporis progressu Ordini nostro post confirmationem evenerunt, omine utique secundo, praesertim quae Sedes Apostolica, benevolentiae, honoris atque incrementi gratia, Ordini, de Religione et societate optime merito conferre dignata est. Uni igitur studebimus, Summorum Pontificum qui proximi confirmationi Ordinis Praedicatorum exstiterunt, beneficia illustria quamplurima ei collata heic exhibere: eorum nempe Pontificum, qui usque ad primum Ordinis saeculum, scilicet ad annum MCCCXVI, effusa manu Ordinem hunc beneficiis cumularunt, quod autem satis superque his de consequentibus confirmationem Ordinis Praedicatorum dixerimus, nemo erit, qui neget.

Romani Pontifices, pro suo quisque amore, Praedicatorum Familiam illustrarunt ; imo quam gratum sibi esset laudibus eam efferre, ditare privilegiis, honoribus extollere, ac tueri patrocinio, historicis monumentis mox fiet luce clarius.

Imprimis elogia Pontificum recensentes, quibus Ordo Praedicatorum veluti corona gemmis auroque nitenti decoratur, haud omnia, quae ad manus habentur afferemus, quum hoc alterius operis pretium sit; sed ea tantum, quae cuiusque Pontificis prae omnibus selectiora existimamus.

Post igitur confirmatum Ordinem, his Pontifices Maximi uti sequelis eundem FF. Praedicatorum laudibus extulerunt Ordinem.

Omnium primus Honorius PP. III. Ipse enim const. *Gratiarum omnium* data d. 21 Januarii 1217, de qua iam supra, FF. Praedicatores alloquens ita laudat: "Interius caritatis flamma flagrantes, exterius fame " fragratis odore, qui et sanas delectat et reficit mentes infirmas ; qui-

" bus etiam, ne remaneant steriles, spirituales mandragoras, tamquam " Studiosi Medici, exhibentes, eas semine Verbi divini vestra salutari " facundia fecundatis: sic, velut Servi Fideles, talenta vobis credita " erogantes, ut eadem reportetis Domino geminata: sic, sicut Invicti " Christi Athlete, scuto fidei et galea salutis armati, non timentes " eos qui corpus possunt occidere, Verbum Dei, quod est penetrabilius " omni gladio ancipiti, magnanimiter contra fidei exeritis inimicos." (1)

In const. *Quoniam abundavit* d. 6 Maii 1220 Fratres Ordinis commendans Archiepiscopo Tarraconensi, sic eos praeconio extollit: " Quoniam " abundavit iniquitas, et refriguit caritas plurimorum, Ordinem Fra- " trum Prædicatorum, sicut credimus, Dominus Suscitavit, qui non " quae sua sunt, sed quae Christi, quaerentes, tam contra profligandas " haereses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedica- " runt evangelizationi Verbi Dei in abiectione voluntariae paupertatis. " Nos igitur eorum Pium Propositum et Necessarium Ministerium " favore prosequentes, fraternitatem tuam pro eis rogandam duximus, et " monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ob reve- " rentiam Divinam, et nostram eos habeas devotius commendatos, ut " ad promotionem eorum Ordinis taliter intendere studeas, quod apud " Deum, cui est eorum Grata Religio, possis multipliciter promereri." (2)

Sequitur Gregorius IX, qui, in minoribus constitutus, Bullam confirmationis uti Cardinalis Ostiensis propria manu signarat, post ad Petri Cathedram sublimatus, in const. *Speciosus* d. 3 Septembris 1232 ita Praedicatores in Austria constitutos celebrat: "Alta Sapientia Dei Patris " in Ecclesia Sancta Catholica Viros Virtutis Et Gratiæ, Divino " constituit Pollentes Eloquio, et Sanctæ Conversationis Splendo- " ribus Emicantes, quibus tanquam Fulgore Stellarum ejus Sponsa " inclyta refulgescit, de quorum numero fratres vestri Ordinis possunt " exprimi Speciales." (3)

In const. *Dilecto filio* d. 28 Iunii 1235 Episcopo Tridentino sic FF. Praedicatorum edicit laudes: "Cum igitur hoc fructuosum tibi, et meri- " torium, esse non debeat onerosum, si predicti fratres Strenui Eccle- " siae Dei Milites opportune in tua diocesi maneant, qui adversus ani- " marum hostes indefesse decertant." (4)

Item in const. *Gaudiorum* d. 22 Maii 1237, Neophytis Cheurim per FF. Praedicatores conversis ad fidem, scribit: "Cum sedens ad supernae " dexteram Majestatis sua pietate providerit, ut ad vos per Pacis Angelos " sui gloria Nominis perferatur, affectum affectui cumulando, vos, sicut at- " tentius possumus, exhortamur, quatenus dilectos filios Fratres Ordinis

---

(1) Analecta Ord. Vol. XII, p. 267.
(2) Bull. Ord. T. I, p. 10.
(3) Bull. Ord. loc. cit. p. 39.
(4) Analect. Ord. Vol. IV, p. 506.

" Praedicatorum de Hungaria, Regis Æterni Praecones, quorum studium " est sine culpa vivere, ac sibi, et universis renatis fonte Baptismatis " perennis vitae delicias impetrare, ad vestram praesentiam accedentes, " benigne, et hilariter admittatis. " (1)

Sede autem vacante, Sacrum Cardinalium Collegium ita FF. Tolosanis laudis titulo scribendum censuit: " Nostis, Fratres in Christo " carissimi, quod Ordo Vester in partibus Tolosanis institutus est a " Sancto P. Dominico Ad Virtutes Plantandas, Ad Fidem Defen- " dendam, Ad Consolandum Et Ædificandum Fideles, et Ad Hae- " reses Extirpandas, ac Ceterorum Vepres Ac Tribulos Vitiorum... " obtinuistis a Domino vobis dari Linguas Caelitus Eruditas. " (2)

Accedit Innocentius IV, qui his FF. nostrorum utilia Ecclesiae opera laudibus extollit, const. *Sane* d. 20 Martii 1247: " Sane cum " Ordinem Vestrum his temporibus, Disponente Domino, in ejus Ec- " clesia salubriter Institutum Apostolica Sedes opportunis favoribus " curaverit munire praesidio, et gratia extollere speciali, ipsiusque Ordi- " nis Fratres tantam ejusdem Sedis benevolentiam, velut gratitudinis sibi " plenitudine, devotionis, et obedientiae promptitudine reverenter agno- " scant, Nos per eos tanquam Catholicae Fidei et Justitiae Fervidos Ze- " latores, Paratos Semper Nostra Beneplacita Adimplere, proces- " sum contra Fredericum quondam Romanorum Imperatorem, in Concilio, " quod nuper Lugduni, annuente Domino, celebravimus, habitum, " volumus publicari.... Et, si forte propter hujusmodi publicationem, " contumelias, exilia, vincula, carceres, verbera, seu quaecumque sup- " plicia, vel corporis cruciatus vos sustinere contigerit, concedimus... " ut haec omnia vobis, velut Constantibus Fidei, Justitiae, Et Ec- " clesiasticae Libertatis Athletis, ad plenam remissionem peccami- " num, et aeternae praemium vitae cedant. "

In const. *Sua Nobis* d. 14 Novembris 1248 Archiepiscopo Capituloque Arelatensis dioecesis de Ordine Praedicatorum scribit hoc modo: "Cum " igitur idem Ordo Divinitus Ecclesiae Senescenti in Sustentationis " Baculum sit provisus, et velut Equus Publicus, quotidie, tam adver- " sus haereticorum nequitiam, quam filiorum errata, et saevitiam tyran- " norum, necnon ad omnia generalis Ecclesiae onera humiliter, et per Dei " gratiam, sati utiliter paratus sit, et Expositus In Adjutorium maxime " Praelatorum..."

In constitutione autem quae incipit *Petitio tua* d. 15 Julii 1252 Magistro eiusdem Ordinis Praedicatorum ita scribens alloquitur: " Prae- " dictum Ordinem, cum sit Rectae Vitae Speculum et Salutiferae " Conversationis Exemplum, semper de bono in melius cupimus, Deo " propitio, prosperari. " (3)

(1) Bull. Ord. loc. cit. p. 95.
(2) Bull. Ord. loc. cit. p. 111.
(3) Bull. Ord. loc. cit. pp. 172, 184 et 215.

Horum autem Pontificum fidelissime premens vestigia Alexander PP. IV exquisitis elogiis Ordinem nostrum decorat. Sic enim in const. *Cunctis processibus* d. 17 Junii 1256 Episcopo Parisiensi data, FF. nostros contra adversarios defendens: "Nefarii detractores, claram, et celebrem illorum famam offuscare falsis eloquiis molientes, literas per quas IPSOS VIRTUTUM ODORE PERFUSOS, AC PIUM ET SANCTUM ORDINEM EORUM, QUASI QUODDAM SIDUS IN ECCLESIA DEI REFULGENTEM, QUI a longis retro temporibus per Sedem Apostolicam solemniter approbatus, FRUCTUS DESIDERABILES ET FELICES IN EADEM ECCLESIA CONTINUA FAECUNDITATE PRODUCIT, odibiles redderent et despectos, Praelatis diversarum partium, et nobis, ac fratribus nostris dirigere praesumpserunt, illa ducti credulitate nequissima, quod DOCTRINA CATHOLICA ET SALUBRIS, ac PRAEDICATIO FRATRUM IPSORUM DEO GRATISSIMA ET DELECTABILIS eum timentibus contemnatur, ac invalescat haereticorum perfidia, pro qua impugnanda viriliter, et omnimode confutanda, dicti Fratres, veluti STRENUI PUGILES ORTHODOXAE FIDEI sunt ita vigiles et intenti."

In const. vero incip. *Caelestis ille Agricola* d. 23 Maii 1257 omnibus Ecclesiae Praelatis, iterum FF. Praedicatores adversus calumniantes defendens, hoc modo eorum praeconia dicit: "Caelestis ille Agricola, summus Actor Fidei, praecipuusque protector, sacrum Fratrum Praedicatorum Ordinem, quasi LIGNUM FERTILE inseruit in Ecclesiae Paradiso.... Haec est illa GENEROSA PLANTATIO, quae ramos suos undique expandens, flores plurimos honoris et honestatis, fructusque uberrimos doctrinae profert et virtutis, et odore sanctae, et laudabilis conversationis longe lateque diffunditur. Hic est Sacer Ordo Praedicatorum, HONESTATE FLORIDUS, PRAECLARUS SCIENTIA, VIRTUTE FOECUNDUS, a Sede Apostolica merito approbatus, qui inter alia plantaria Dominica, PURITATE CONVERSATIONIS, SAPIENTIAE DONO, ET VIRTUTIS MERITO dignoscitur SPECIALITER INSIGNITUS. Hujus sacri, clari, conspicui, et approbati Ordinis Fratres.... EVANGELICAE PRAEDICATIONI ARDENTER INSISTENTES, LUMEN DIVINAE DOCTRINAE ubique per orbem DIFFUNDUNT. Hi sunt VIRI DOCTRINA CLARISSIMI.... Hi sunt VIRI PROBATI et plene IN LEGE DOMINI ERUDITI, Fratres videlicet dicti Ordinis, EFFICACES quidem IN OPERE ac IN PRAEDICATIONE POTENTES.... Hi sunt VIRI PRAECLARI, CONSPICUA RELIGIONE FULGENTES, qui tanquam LUCENTIA SIDERA IN ECCLESIAE FIRMAMENTO suis splendidis documentis insinuant mortalibus viam vitae. Hi sunt PHIALAE AUREAE PLENAE ODORAMENTIS.... Hi sunt DILECTI DEO ET HOMINIBUS, MORUM HONESTATE CONSPICUI, SCIENTIAE TITULO INSIGNITI.... unde clarissime constat, eos in statu perfectionis existere, et per suae Religionis observantiam, QUAE quidem IPSIUS EVANGELICAE PERFECTIONIS CONTINET FORMAM in aeternae retributionis praemio, praecellentem gloriam promereri. Pro his ergo ab universis Ecclesiarum

" Praelatis, cunctisque Christifidelibus diligendi sunt praecipua caritate, ac " tanquam VENERABILES DEI MINISTRI ET POPULO SUO NECESSARII, " honorandi condigne, et favoribus specialibus muniendi. Ideoque uni- " versitatem vestram rogamus, et hortamur attente, per Apostolica vobis " scripta mandantes, quatenus dictos Fratres Praedicatores.... tanquam " SPECIALES ET AMABILES ECCLESIAE ROMANAE FILIOS, AC SALUTIS " ANIMARUM FERVIDOS ZELATORES cum omni caritate, ac benignitate " tractetis. " (1)

Post Alexandrum IV praesto fit Urbanus PP. IV., qui const. *Vestri Ordinis* d. 12 Septembris 1261 Priori et FF. nostris Viterbiensibus ita scribit: " Vestri Ordinis PRAECLARA RELIGIO piis operibus ita fulgere " conspicitur, ut pro quodam DEI CANDELABRO per orbis latitudinem " habeatur." (2)

Sequitur Clemens IV, qui const. *Splendor paternae gloriae* d. 23 Aprilis 1265 Praedicatores hoc modo alloquitur: " Splendor paternae " gloriae, de luce lucem proferens, et saluti humani generis intendens.... " Ordinem vestrum, Lucernam quippe IGNE CARITATIS ARDENTEM, ET " LUMEN DOCTRINAE FULGORE PRAEFULGIDUM, in templo Ecclesiae uni- " versalis accendens, ut omnibus longe, lateque reluceat, super cande- " labrum EMINENTIS RELIGIONIS erexit."

In const. *Innuit* d. 24 Februarii 1266: "Innuit sacrae lectionis eloqium, quod Ordo vester verisimiliter URBEM FORTITUDINIS REPRAESENTAT, " quam justa gens, apertis portis, ingreditur, custodiens veritatem; vobis " enim justitiae zona praecinctis, janua caelestis vitae aperitur ad gratiam, " dum summae veritatis, quae Christus est, mandata servatis, et eorum ob- " servantiam summopere custoditis. Eundem Ordinem velut TABERNACULUM " SUUM SANCTIFICAVIT ALTISSIMUS, et in eo sibi HABITACULUM PRAEPARA- " VIT CONSTITUENS LUCEM.... qui quasi SOL IN DEI TEMPLO REFULGENS, " et quasi CUPRESSUS in altitudinem se extollens, respicientium ad eum " mentes illuminat, et quietis umbraculum tribuit sum mundanae miseriae " sarcina fatigatis. Hic est AGER DOMINICUS, superioris benedictionis " rore perfusus.... Hic est profecto FERTILITATIS AGER, FRUCTUS UBERES " PROFERENS." (3)

Nicolaus vero III in const. *Ordo vester* d. 17 Maii 1278 Capitulo Generali Ordinis haec scribit: " Ordo vester INSTITUTUS DIVINITUS " CLARET IN CONSPECTU ALTISSIMI PATRIS PER BEATAM SOBOLEM, " quam qroduxit ad haereditatis aeternae gloriam assumendam. Claret " in terris, tanquam LUMINARE PRAEFULGIDUM EFFUNDENS in gentibus " RADIOS CLARITATIS: digne quidem in ipso chorus exultat Angelicus:

---

(1) Bull. Ord. loc. cit. pp. 306 sq., 338; et Tom. VIII, Tract. de Consensu Bull. Tit. I, Qu. I, p. 13 sq.
(2) Bull. Ord. T. I, p. 416.
(3) Bull. Ord. loc. cit. pp. 450 et 471.

" et nos, qui Ordinem ipsum praerogativa conceptae ab eodem specialis " dilectionis amplectimur, in ejus claritate delectamur, ac in sua reli- " gione, veluti STABILI SOLIDITATE quiescimus, dum vos, CIRCA VIR- " TUTUM EXERCITIUM JUGITER INSUDANTES.... quasi DEI MEDIATORES " ET HOMINUM, salutem quaeritis animarum, et PROSPERI STATUS UNI- " VERSALIS ECCLESIAE FERVIDI ZELATORES, eidem indefessis laboribus, " et argumentosis operibus deservitis." (1)

His omnibus accedit Honorius PP. IV, qui in const. *Religionis favor* d. 19 Ianuarii 1286 Magistro ac FF. Ordinis Praedicatorum data haec de eodem Ordine habet encomia: " Religionis favor, sub qua " virtutum Domino deservitis, et FRUCTUS UBERES QUI EX VESTRIS LA- " BORIBUS IN ECCLESIA UNIVERSALI, divina gratia cooperante, PROVE- " NIUNT, Nos inducunt, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quae " ab impedimentorum obstaculis liberati, fructificare liberius in eadem " Ecclesia valeatis." (2)

Honorium sequitur Nicolaus nomine IV, Ordinis Minorum, qui in const. *Dum sollicitae* d. 28 Julii 1288 iisdem scribens ait: "Infra " mentis archana revolvimus, quod Ordo vester in agro Dominico SU- " PERNA DISPOSITIONE PLANTATUS, UBERES IN ORREUM DOMINI FRUCTUS " INFERT, quodque SALUTIS COMMODA GRANDIA EX VESTRAE SOLLICI- " TUDINIS STUDIO, quod laudabiliter continuare satagitis, fidelium pro- veniunt animabus." (3)

S. Caelestinus V vero in const. *Clara Ordinis* d. 1 Septembris 1294 his Ordinem Praedicatorum extollit praeconiis: " Clara Ordinis " Praedicatorum Religio, VIRTUTUM FAECUNDITATE REFERTA, ET TOTA " PER BONORUM OPERUM STUDIA DOMINO STABILITA, ex suae institutio- " nis exordio, AD ROBUR ET MONUMENTUM ERECTA FIDEI ORTHODO- " XAE, per insignium gratiam meritorum, et sacrae praedicationis doctrinam " UBERES hactenus IN UNIVERSALI ECCLESIA HONESTATIS FRUCTUS " PROTULIT ET SALUTIS, et proferre non desinit incessanter. Quare " RELIGIONEM TAM PERINSIGNEM, TAM SANCTAM, et professores ipsius " sincera diligentes in Domino caritate, in his, quae ipsius Religionis " favorem et profectum respiciunt, efficacis solicitudinis studium libenti animo adhibemus." (4)

Bonifacius autem PP. VIII, in const. *Caelestis Agricolae* sub diem 11 Aprilis 1300 edita, sic Generali Capitulo FF. Praedicatorum scribit: " Caelestis Agricolae mira benignitas Ordinem vestrum Praedi- " catorum PRO SALUTE FIDELIUM in horto plantavit Ecclesiae, qui velut, " AGER VIRTUTUM FERTILIS, SUPERNI RORIS BENEDICTIONE PERFUSUS,

---

(1) Bull. Ord. loc. cit. p. 556.
(2) Bull. Ord. T. II, p. 9.
(3) Bull. Ord. loc. cit. p. 20.
(4) Bull. Ord. T. VII, p. 49.

" dono Domini, Cultores Habet Industrios, et Viros Bonæ Vitæ " Producit, ac Fructus Profert Uberes et Salubres, seminaque " in eo sparsa non pereunt, flores editi non arescunt, et tandem ex " eo, multiplicatis manipulis, grana perennis gloriae colliguntur. Prop- " terea nos Ordinem ipsum, quem sic in Ecclesia Universali fructificare " conspicimus, tenerrime diligimus, et corde tenemus." (1)

Seriem denique Romanorum Pontificum, qui primo Ordinis saeculo ipsius egregias laudes luculenti oratione celebrarunt, bellissime complet B. Benedictus XI, eiusdem Ordinis inclytus alumnus. Ipse enim in const. incip. *In Ordine* sub die 13 Februarii 1304 haec ait: "In " Ordine Fratrum Praedicatorum quasi solis radius habitantibus in hac " lachrimarum valle, Lux Eruditionis Illucet, dum ipsius Ordinis " Professorum Fructuosa Studia Mentes, fidem orthodoxam confiten- " tium, fragiles, in tenebris erroris inimici hominis suggestione illapsas, " Lumine Veritatis Illustrant Et Spinas Punctionis Lætiferæ, in " orto succrescentes dominico, Novacula Labiorum Succidunt, In " Quibus Æternæ Sapientiæ Gratia Est Diffusa. Quare dictus " Ordo, qui nempe In Medio Ecclesiæ In Germine Ineffabilis Uti- " litatis Succrescens ut spiritualium fructuum ubertatem multiphariam " multiplicat, non lassatur laborare votivis per Sedem Apostolicam est " confovendus favoribus."

Item in const. *Ex horto* d. 10 Martii subsequentis Capitulo Generali Ordinis nostri scribens, hisce veluti laudibus Ordinem celebrat: " Ineffabilis " providentia Conditoris, pro sui nominis attollenda gloria, et salute fidelium " procuranda praeclarum Ordinem Praedicatorum diebus novissimis inter " speciosa et faecunda plantaria, quasi Lignum Vitae produxit, quod " Superni Roris Benedictione Perfusum, sic a suis primordiis lau- " dabilibus incrementis successive processit, sic se, divina operante gratia, " in altum provexit, sic se longe lateque diffudit, ut Sublimitate Sua " Cælos Pertigerit, et ad fines ultimos orbis terrarum suos extenderit " palmites generosos. Isti sunt Palmites Pretiosi Christo Viti Verae " Inhaerentes, Fratres, videlicet Ordinis S. Dominici.... Isti sunt " Electi Christi Ministri, Conspicua Religione Fulgentes Et Ho- " nestate Vitae Clarissimi, quos In Lucem Gentium Dei sapientiam " dedisse dignoscitur, velut Splendentia Sydera In Ecclesiæ Firma- " mento, et tanquam Lucernas Ardentes In Domo Dei, Illuminantes " Cunctos Evangelicis Documentis, et Spiritualibus Radiis Osten- " dentes Mortalibus Viam Vitae. Isti sunt Egregii Bellatores, " qui Hostes Animæ Et Inimicos Sanctæ Ecclesiæ Per Fidei Scu- " tum, Gladium Spiritus Et Arma Justitiae Debellantes, obtinere " conati sunt, ut Catholicis universis virtutum augmenta proveniant....

(1) Bull. Ord. T. II, p. 60.

" Consideretis igitur.... praefati Ordinis Firmissima Fundamenta, Duces " Insignes, Milites Strenuos, Pugiles Indefessos.... et ideo talium " vos non degeneres, sed legitimi filii, fideles imitatores esse debetis: " ac indesinenter eorum tuta sequi vestigia, qui vobis tam clara, tam " certa, religiose et ordinate vivendi, reliquerunt exempla, et Ordinem " Ipsum Habentem In Se Perfectae Pulchritudinis Decus, divinae, " et Apostolicae Sedis clementia, Tot Gratiis Dotatum, Sublimatum " Donis Et Privilegiis Roboratum, immunem prorsus ab omni macula " conservare." (1)

Haec sunt selectiora praeconia, quae ex uberrimo domesticae historiae nostrae thesauro haurire atque depromere curavimus; his tamquam sequelis Ordinem Praedicatorum confirmatum Summi Pontifices, pro eorum benevolentia, prioris saeculi cursu exornare dignati sunt. Huiusmodi autem elogia nos alumni eiusdem Ordinis gratissimi admiramur, quum sint monumenta aere perenniora, Apostolicae Sedis in nos alti amoris pignora, atque nostrae fastigium gloriae.

## § 2. DE PRIMAEVIS ORDINIS PRIVILEGIIS. (2)

Quamplura etiam privilegia, eaque insignia, Ordo Praedicatorum est consequutus. De societate siquidem ac de Ecclesia optime meritum Romani Pontifices attentius agnoscentes, manus pro suo quisque conatu apponere non sunt dedignati privilegiorum acervo, privilegia nempe privilegiis cumulando.

Omnium sane privilegiorum princeps merito habetur exemptio, qua Ordo Praedicatorum iurisdictioni Ordinariorum, inferiorumque Praelatorum adimitur, fitque iuris unius dumtaxat Pontificis Maximi, "cui " Ordo ipse, ut verbis utar Nicolai PP. IV, nullo medio est subjectus". (3) Quae quidem exemptio, nedum Ordinem afficiebat, verum etiam et personas et loca ad eumdem Ordinem pertinentia, dicente eodem Pontifice : " Decernentes ex nunc eundem Ordinem, ac personas, Ecclesias, Ora- " toria, domus, et loca praefata, soli Romano Pontifici, et Romanae Ec- " clesiae, tam in spiritualibus, quam in temporalibus absque ullo medio " subjacere. " (4)

---

(1) Bull. Ord. loc. cit. pp. 86 et 93.

(2) Scias velim, erudite lector, hic nequaquam de omnibus privilegiis acturum, sed de praecipuis tantum, deque illis, quae usque ad annum MCCCXVI, quo expletur primum Ordinis saeculum, eidem Ordini collata sunt. Ex hisce alia sequiori aetate penitus abrogata, alia vero fuere temperata, pluribus quidem hactenus pleno vigore manentibus.

(3) Bull. Ord. loc. cit. p. 25

(4) Bull. Ord. loc. cit. p. 20.

Honorius III, qui mentem d. Dominici Ordinem Praedicatorum instituentis prospexerat, primus hoc privilegio Ordinem nostrum donavit in ipso confirmationis diplomate, incip. *Nos attendentes*, (1) quem et alii Pontifices sequuti sunt, unanimi id consensione ratum habentes. Ita enim Urbanus IV decrevit const. *Cum a Nobis* d. 9 Februarii 1263 ; Clemens IV const. *Ordinis Vestri* d. 7 Iunii 1268; Honorius IV const. *Moleste ferimus* d. 17 Septembris 1285, Nicolaus IV conss. *Dum sollicitae* d. 28 Iulii 1288 et *Si ad illum* d. 6 Octobris 1289 ; Bonifacius VIII conss. *Inter ceteros* d. 10 Maii et *Virtute conspicuos* d. 19 Iunii sub annum 1296 ; atque Benedictus XI conss. *Inter cunctas* d. 17 Februarii, *Sacra Vestra* d. 27 eiusdem mensis, ac *Inter ceteros* d. 12 Martii anni 1304.

Hoc autem privilegium quoad personas Apostolica Sedes extendit ad domesticos sive familiares domibus Ordinis inservientes : id enim concessere Innocentius IV const. *Qui Deum* d. 3 Februarii 1244 et Alexander IV conss. *Qui Deum* d. 5 Maii 1256, *Ut in vestris* d. 20 Novembris 1257, et *Virtute conspicuos* d. 28 Martii 1261.

Huc etiam revocandum videtur privilegium sepeliendi, eo quia Coemeteria Ordinis libera decernuntur, quemadmodum statuerunt Honorius III const. *Religiosam vitam* d. 30 Martii 1218; Gregorius IX conss. *Cum a nobis* dd. 26 et 30 Novembris 1227; Innocentius IV conss. *Fructum* d. 6 Februarii 1244, *Cum a nobis* d. 10 eiusdem mensis et anni, et *Ea quae judicio* d. 2 Aprilis 1246 ; Alexander IV conss. *Cum a nobis* dd. 5 Aprilis et 6 Augusti 1256, *Laudabilis* d. 22 Ianuarii, *Meritis* d. 26 Martii, *Ex tenore* d. 18 Augusti et *Cum a nobis* d. 15 Octobris sub anno 1257, *Pertulerunt* dd. 20 Ianuarii, 1 Februarii et 6 Martii, atque *Religionis favor* d. 28 Aprilis 1259, *Cum Ordinis* d. 23 Martii, *Ea quae* dd. 14 et *Exhibita nobis* d. 17 Novembris 1260, *Virtute conspicuos* d. 28 Martii, *Religiosam vitam* d. 1 et *Cum a nobis* d. 10 Aprilis anni 1261; Clemens IV conss. *Virtute conspicuos* d. 3 Iunii, *Cum a nobis* d. 22 Iulii a. 1265, et *Pertulerunt* d. 4 Decembris 1267; Gregorio X conss. *Religiosam vitam* d. 7 Martii, *Cum Ordinis* d. 11 Septembris 1274, et *Religiosam vitam* d. 23 Martii 1275 ; Innocentius V const. *Ea quae* d. 22 Aprilis 1276; Nicolaus III const. *Cum a nobis* d. 22 Martii 1279 ; Honorius IV const. *Virtute conspicuos* d. 20 Novembris 1285; Bonifacius VIII conss. *Virtute conspicuos* d. 19 Iunii 1296 et *Inter dilectos* d. 9 Augusti 1303 ; atque Benedictus XI conss. *Meritis vestrae* d. 2 et *Religionis vestrae* d. 14 Aprilis 1304.

Ad divina autem quod attinet, varia Ordini Praedicatorum data sunt privilegia.

---

(1) Monitus fiat lector, quas hic Apostolicas Constitutiones recensuri, in Bull. Ord. Tom. I, II, VII et VIII passim, si velit consulere, haberi.

Imprimis Ecclesiae Ordinis declaratae sunt Conventuales et Collegiatae (1) ac inter honorabilium Collegiorum ecclesias admuneratae, cum earumdem iuribus et privilegiis. Ea de re fidem praestant Gregorius IX const. *Cum tanquam* d. 9 Aprilis 1228 et Innocentius IV const. eiusdem tenoris d. 5 Septembris 1243.

Honorius quoque III constitutione *Religiosam vitam* die 30 Martii 1218 sic FF. Praedicatoribus edixit: "Chrisma vero, et Oleum "Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes "Clericorum qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi a Dioecesano "suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit et communionem "Sacrosanctae Romanae Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine "pravitate aliqua exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque ma- "lueritis catholicum adire Antistitem, gratiam et communionem Apo- "stolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod "postulatis, impendat." At privilegium hoc quantum ad ordina tiones Clericorum auctum postea est ab Alexandro IV conss. *Convenit* d. 20 Septembris 1257 et *Virtute conspicuos* d. 28 Martii 1261: quod quidem ratum habuere Clemens IV const. d. 3 Iunii 1265, Honorius IV const. d. 20 Novembris 1285, et Bonifacius VIII const. d. 19 Iunii 1296, eodem modo incipientibus, eiusdemque tenoris.

Insuper Clemens IV Fratribus Praedicatoribus ius speciali ritu utendi, ut in recitatione Divini Officii, atque in celebratione Missae, const. *Consurgit* d. 7 Iulii 1267 concessit; ac Honorius IV const. *Meritis vestrae* d. 1 Octobris 1285, ut circa hunc ritum Magister Ordinis ex praescripto trium Capitulorum Generalium immutare posset, facultatem fecit.

Praeterea nostris privilegium concessum est Divina celebrandi tempore interdicti. Ita enim Honorius III in const. *Religiosam vitam* statuerat: "Cum autem generale Interdictum terrae fuerit liceat vobis, "clausis januis, exclusis Excommunicatis, et Interdictis, non pulsatis cam- "panis, suppressa voce Divina Officia celebrare." Huiusmodi privilegium Honorius ipse const. mox laudata primus concessit, et iterum conss. *Cum nos* d. 7 Martii 1222 ac *Favorabilibus* d. 18 Decembris 1224. Honorio autem hi consenserunt: Gregorius IX conss. *Precibus vestris* d. 12 Februarii, et *Favorabilibus* d. 9 Aprilis 1228; Innocentius IV conss. *Vobis assidue* d. 4 Februarii et *Precibus vestris* d. 1 Martii 1244; Alexander IV conss. *Quanto studiosius* d. 5 Octobris 1255, *Solet annuere* d. 13 Iannuarii et *Vobis assidue* d. 3 Augusti 1256, *Devotionis vestrae* d. 1 Decembris 1257, *Religiosam vitam* d. 12 Aprilis 1258, *Devotionis vestrae* dd. 9 Iunii et 13 Decembris 1259, *Virtute conspicuos* d. 28 Martii ac *Religiosam vitam* d. 1 Aprilis 1261; Clemens IV conss. *Virtute con-*

(1). Quoad vim huius nominis et consequentia inde iura ac privilegia, cfr Cap. praec. § 4. p. 33. (5)

*spicuos* d. 3 Iunii 1265 et *Meritis vestrae* d. 20 Decembris 1267 ; Gregorius X conss. *Religiosam vitam* d. 7 Martii 1274 et d. 23 Martii 1275; Honorius IV conss. *Meritis vestrae* d. 13 Septembris et *Virtute conspicuos* d. 20 Novembris 1285; et Bonifacius VIII const. eiusdem tenoris d. 19 Iunii 1296.

Hoc autem privilegium augebatur, quum in vigilia et festo ac tota octava S. P. Dominici atque S. Petri Martyris, apertis ianuis, exclusis excommunicatis, Divina Officia solemniter peragere daretur Fratribus Praedicatoribus ab Alexandro IV conss. *Pro reverentia* dd. 9 Februarii ac 9 Iunii 1257, et 4 Ianuarii 1261.

Item facta est nostris facultas, interdicto perdurante, Sacramenta recipiendi, uti constat ex eodem Alexandro IV conss. *Devotionis vestrae* d. 9 Iunii et *Virtute conspicuos* d. 28 Martii 1261; ex Clemente IV conss. eiusdem tenoris d. 3 Iunii 1265 et *Meritis vestrae* d. 30 Iunii 1267; ex Honorio IV conss. eiusdem tenoris d. 13 Septembris et *Virtute conspicuos* d. 20 Novembris 1285; et ex Bonifacio VIII const. eiusdem tenoris d. 19 Iunii 1296. Imo FF. Ordinis concessum est, et Sacramenta domesticis suis ministrare, et eos sepulturae tradere, interdicto non obstante. Ita enim Alexander IV largitus est const. *Ut in vestris* d. 20 Novembris 1257, et Honorius IV const. *Virtute conspicuos* d. 20 eiusdem mensis, anni vero 1258, et Bonifacius VIII const. eiusdem tenoris d. 19 Iunii 1296.

Item FF. Praedicatoribus privilegium concessere Pontifices Sacra faciendi super altari portatili. Huius rei testimonia praebent : Honorius III const. *Postulastis* d. 6 Maii 1221; Gregorius IX const. *Ne pro varietate* d. 10 Maii 1230; Innocentius IV conss. *Postulastis* d. 4 Septembris 1243 et d. 25 Martii 1244 ; Alexander IV const. *Virtute conspicuos* d. 28 Martii 1261; Clemens IV const. eiusdem tenoris d. 3 Iunii 1265; Honorius IV const. eiusdem tenoris d. 20 Novembris 1285; ac tandem Bonifacius VIII const. eiusdem pariter tenoris d. 19 Iulii 1296.

Sane inter privilegia Ordinis est utique recensenda facultas, qua Fratres nostri gaudent regendi Paroecias, ecclesias nempe cui animarum cura est adnexa. Hoc agnoscit Honorius PP. III const. *Religiosam vitam* d. 30 Martii 1218, quem et alii Successores sequentes, Praedicatoribus ecclesias parochiales concesserunt: Bonifacius quidem VIII conss. *Desideriis tuis* et *Ob excellentiam* d. 7 Aprilis 1295 ; Benedictus XI conss. *Quae pro Religionis* d. 20 Ianuarii et *Sacrae Religionis* d. 24 Iunii 1304; et Ioannes XXII const. *Quae pro Religionis* d. 3 Decembris 1316.

Amplissimis quoque privilegiis Pontificum donati sunt Fratres Praedicatores Missionibus deputati. Ex his pauca lectori exhibemus. Ipsi enim Apostolica Auctoritate, sive inter infideles, sive inter schismaticos vel haereticos degentes, iure pollebant barbam et comam nutriendi, atque pecuniam recipiendi et expendendi. Poterant insuper cum schismaticis in verbo, in cibo et officio communicare, poterant quoque baptizare, apostatas reconciliare, confessiones audire, poenitentias iniungere,

vota commutare, excommunicationis sententiam ferre, ab excommunicatione absolvere, atque occisoribus tum clericorum tum religiosorum absolutionem impertiri, dispensare etiam ab irregularitate Fratres Ordinis, et quoscumque alios, his in casibus, in quibus Legatis dumtaxat Apostolicis ius erat.

Praeterea fratres Missionarii poterant cum ad fidem conversis dispensare, ut apud suos manerent et cum eis communicarent, cum his quoque qui contra Canonum dispositionem ad Ordines promoti essent, et cum aliis qui post Sacros Ordines susceptos, modo in gradibus et casibus a Divina lege minime prohibitis, matrimonium contraxerint. Insuper clericos publice ad obedientiam Apostolicae Sedis redeuntes donare poterant clericali privilegio ; ipsique Sacerdotes Missionarii fundare ecclesias, rectoresque constituere, causas matrimonales definire, Clericalem Tonsuram atque Minores Ordines conferre iure poterant. Item pollutas ecclesias reconciliare, caemeteria, sacerdotales vestes, altaris pallas et corporalia benedicere, altari portatili uti, ac tandem indulgentias quoque largiri.

Horum quidem seriem Missionariis nostris concesserunt Romani Pontifices : Honorius III conss. *Vineae Domini* d. 7 Octobris 1225 et *Ex parte vestra* d. 17 Martii 1226; Gregorius IX conss. *Cum messis* d. 26 Iulii 1233, *Cum hora* d. 15 Februarii 1235, et *Sperantes* d. 16 Maii 1237; Innocentius IV conss. *Patri luminum* d. 22 Martii 1244 et *Cum hora* d. 23 Iulii 1253; Alexander IV conss. *Cum hora* d. 27 Iunii 1256 atque d. 13 Februarii 1258; Nicolaus III const. eiusdem tenoris d. 30 Augusti 1278; Nicolaus IV const. eiusdem etiam tenoris d. 3 Septembris 1288; et Bonifacius VIII const. *Immaculata* d. 10 Aprilir 1299.

Ut autem de primitivis privilegiis Ordinis nostri sermo compleatur, hic aliquid superest dicendum de Apostolicis Constitutionibus, quae Mare Magnvm passim audiunt.

His itaque Summi Pontifices privilegia Ordini Praedicatorum, sive ab ipsis, sive ab Antecessoribus data, veluti per summa capita recensentes firmata habebant, atque novis privilegiis amplius augebant. Quinque diplomata huiusce tenoris ab Ordine confirmato ad usque annum 1316 eumdem Ordinem privilegiis cumulant, suntque huiusmodi : *Virtute conspicuos* Alexandri PP. IV sub diem 28 Martii 1261, Clementis IV d. 3 Junii 1265, Honorii IV d. 20 Novembris 1285, S. Caelestini V d. 22 Novembris 1294 et Bonifacii VIII d. 19 Iunii 1296.

Quare iure meritoque Benedicti PP. XI verba de Ordine Praedicatorum usurpare licet, atque praeclaro eiusdem Pontificis encomio ipsum Ordinem celebrare "Apostolicae Sedis clementia, tot gratiis dotatum, subli- " matum donis, et privilegiis roboratum," (1) veluti Summorum Pontificum insignibus amoris monumentis.

---

(1) Const. *Ex horto* d. 10 Martii 1304.

## § 3. DE HONORIBUS PONTIFICIIS ORDINI NOSTRO COLLATIS.

Ordo Praedicatorum, Summis Pontificibus utique gratissimus, tot tantisque laudibus ac beneficiis exornatus, honore quoque procul dubio afficiendus erat. Nam eosdem Pontifices eo progressos fuisse constat, ut certatim ipsum Ordinem honorum gloria coronarent.

Perinsignem igitur Praedicatorum Familiam virorum sanctitate et doctrina illustrium, primo vel Ordinis saeculo admirata, Sedes Apostolica hanc summis honoribus cohonestare decrevit; quod et amplissime fecit. Imprimis siquidem caelitibus adnumeravit d. Dominicum Patrem Legiferum, ac Ducem et Conditorem Ordinis Praedicatorum; deinde S. Petrum Veronensem, qui haereticorum gladio, veluti catholicae fidei invictissimus pugil, occubuit; quorum postea et virtutes et mirabilia eximiis praeconiis extollens, solemnia ubique terrarum praescripsit, ac privilegiis eorum festa, sepulcra pariter atque sacras aedes cumulavit.

Sed et Clemens PP. IV "maximus amator predicatorum ordinis.... " de saneto patre nostro Dominico, quem in magna devotione habuit, " composuit illas duas devotas antiphonas *Benedictus redemptor omnium*, " et *Magne pater sancte Dominice* et eas cantari instituit." (1) Insuper Pontifex ad morem Praedicatorum " carnes diu non comedit, asperrimo " lecto est usus, nec vestibus lineis ad carnem utebatur," (2) imo ut eruitur ex Sebastiano de Olmeda "sub clamide pontificia habitum fra- " tremque Ordinis tegebat absconditum." (3)

At Romani Pontifices ad Ecclesiam universam regendam caelitus electi non tantum dictis honoribus Ordinem Praedicatorum prosecuti sunt, verum etiam, alumnorum Ordinis doctrina, meritis, atque in rebus gerendis prudentia inspecta, haud cunctati eos undique accersire, ac in partem sollicitudinis pastoralis advocare. Id certo testatur ingens Praedicatorum numerus ad omnes, primos quidem sacrae ecclesiasticae hierarchiae gradus evectus, annorum centum spatio; Ecclesiae enim ab Ordine condito ad usque Clementem V Pontificem Maximum hos Praedicatorum Familia ex suis alumnis suppeditavit: Cardinales 13, Patriarchas 18, Archiepiscopos 69, Episcopos 275, Legatos *a Latere* 6, Legatos Apostolicae Sedis 92 (4) et amplius. (5) Iudices Apostolicos 18, Commissarios Apostolicos 106, Visitatores Apostolicos 20, Magistros S. Palatii 10, Vicarios Summorum Pon-

---

(1) Chronica et Chronicorum Excerpta historiam Ordinis Praedicatorum illustrantia edit. Reichert. Romae 1904, p. 14 sq.

(2) Ptolomaeus Lucensis: Historia Eccl. apud Muratorium XI.

(3) Nova Chronica. Ms. Archiv. Gen. Ord.

(4) Bull. Ord. T. I pp. 17, 112 sqq., 255 sqq., 411 sqq., 447 sq. 500 sqq., 537 sqq. 546, 552, 572 sqq ; T. II pp. 4 sq., 17 sq., 35 sqq., 71 sqq., 101 sqq., 124 sqq., et VII p. 510 sqq.

(5) Horum seriem exhibebit Appendix B.

tificum 4, Poenitentiarios Maiores 6, Poenitentiarios Apostolicos 20, D. Papae Capellanos 11, ac S. R. Ecclesiae Vice Cancellarios 2. (1)

Quo factum est, ut Magister Ordinis, Fr. Ioannes Teutonicus, altius quereretur de tanta Fratrum multitudine ab Ordine avulsa, atque dignitatum implicita curis ecclesiasticarum. Querebantur quoque et alii dicentes: "En viri magni tolluntur ab ordine, nosque pauperes " relinquimur nimis. Et quia pater noster Dominicus, non petiit con- " firmari sibi nisi ordinem predicatorum et non prelatorum. Nec Petrus " tradidit ei claves sed baculum, Paulus quoque non pallium sed librum. " Nolumus ergo prelatos sed sanctos, non optamus pontifices sed doctores, " sed martyres et confessores." (2) At frustra; quippe Deo opitulante id contigisse luce clarius patet. Ea enim tempestate Ecclesia diris hostibus premebatur, atque, doctrina, moribusque audacter oppugnatis, ipsius vel ima fundamenta quatiebantur. Quis namque edicere valeat quo haeretici progressi fuerint, quo morum corruptela, quo factiones urbes populosque innumeros misere discerpentes? Aliunde gentes plurimae lumine fidei ademptae in errorum tenebris tabescebant. Quapropter, ut tantis mederetur malis, Ordo Praedicatorum Ecclesiae praesto fuit, eoque Summi Pontifices ad commune bonum Christifidelium, atque haereticorum extremam perniciem usi sunt.

Gregorius IX quo facilius dioeceses plurimas haeresum labe purgaret, haereticorum ausa infringeret, fideique tutamen opponeret, quum FF. Praedicatores uti strenuos Ecclesiae milites conspexisset, eis sacrum Inquisitionis officium demandavit, ac eos fidei tuendae praefecit, anno 1232 in Alemannia, Aragonia atque Austria, subsequenti vero in Gallia; anno autem 1237 in Lombardia, serius postea alibi. (3)

Sed et aliis quoque honoribus Pontifices Ordinem nostrum augere non dubitarunt. Nam Praedicatores verbi ministerio designarunt, atque editis pluribus apostolicis constitutionibus, eos apud totius Ecclesiae prelatos enixe commendarunt. Sic enim, ut plura diplomata mittam, Honorius PP. III de Praedicatoribus universis Ecclesiarum Praelatis scribere curavit: "Ipsos igitur, quorum et propositum sanctum et Ministerium " necessarium arbitramur, Universitati vestrae affectuose duximus com- " mendandos, caritatem vestram rogantes, et exhortantes in Domino, ac " per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro reverentia Divina " ad officium Praedicandi, ad quod deputati sunt, benigne recipientes " eosdem, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum Verbi Dei " semen devote suscipiant, sedulo admonentes, pro nostra et Apostolicae " Sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis." (4)

---

(1) Cfr. Bull. Ord. TT, I, II, VII passim, Fontana Op. cit. et Analect. Ord. Praed. Vol. XII.

(2) Sebastianus de Olmeda Op. cit. fol. 19.

(3) Bull. Ord. T. I, pp. 37 sqq., 45 sqq., 80 sq. et 95.

(4) Const. *Dilecti filii* d. 8 Decembris 1219. Bull. Ord. loc. cit. p. 8.

Quum autem inter Christifidelis tanto libertatis honore Fratres Ordinis donati fuerint, ut ubique gentium verbi ministerio essent omnino dediti, novo honoris fastigio, Pontifices cumularunt, quum, intime perpenso Ordinis fine, eius alumnos ad procul dissitas regiones, ac barbaras gentes uti "Æterni Regis Praecones" necnon "salutis animarum fervidos zelatores," (1) Missionarios re et munere destinarent.

Huius praestantissimi honoris exstant perenne monumentum Pontificum di plomata, quibus vel populorum nomen recensetur, queis illuminandis FF. Praedicatores missi sunt, vel ipsi Fratres excitantur, deputanturque, huic ministerio apud longinquas plagas efferasque nationes vacaturi. Rei fidem certam ingerit Honorius PP. III conss. *Vinee Domini* dd. 10 Iunii et 7 Octobris, *Gaudemus de te* d. 27 eiusdem mensis, et *Ea que nuper* d. 8 Novembris 1225, *Urgente Officii* d. 20 Februarii et *Ex parte* d. 17 Martii 1226; Gregorius IX conss. *Letati sumus* d. 5 Maii et *Gaudemus* d. 31 Iulii 1227, *Cum venerabili* et *Gaudemus in Domino* d. 21 Martii 1228, *Cum pro fide* d. 13 Septembris 1229, *Ne pro varietate* d. 10 Maii 1230, *Gratias agimus* d. 9 Iulii 1231, *Cum misericors* d. 23 Ianuarii et *Cum animarum* d. 5 Februarii 1232, *Cum iuxta* d. 18 Maii *Cum messis* d. 26 Iulii, *Toleranda* d. 14, *Pro zelo* d. 18 et *Post vicarium* d. 27 Augusti 1233, *Pro zelo* dd. 29 Aprilis et 10 Maii 1234, *Cum hora* d. 15 Februarii 1235, *Ut facile* et *Sperantes* d. 16 Maii, *Gaudiorum* d. 22 eiusdem mensis, et *Causam Conditoris* d. 28 Iulii 1237, *Inspirationis divinae* d. 26 Aprilis et *Sedi Apostolicae* d. 23 Decembris 1238, *Cum sicut* d. 6. Augusti 1239 et *Vas admirabile* d. 13 Ianuarii 1240, Innocentius IV conss. *Patri luminum* d. 22 Martii 1244, *Quasdam amplas* d. 8 Augusti 1250, *Ex eo* d. 24 Ianuarii, *Athleta Christi* d. 20 Februarii et *Cum hora* d. 23 Iulii 1253, et *Deus Creator* d. 16 Februarii 1254; Alexander IV conss. *Cum hora* dd. 27 Iunii 1256 et 13 Februarii 1258; Nicolaus III const. eiusdem tenoris d. 30 Augsuti 1278, Nicolaus IV const. eiusdem etiam tenoris d. 3 Septembris 1288; Bonifacius VIII const. *Immaculata* d. 10 Aprilis 1299; ac tandem Clemens V const. *Benedictus Deus* d. 1 Aprilis 1308. (2)

Ad regimen autem universae Ecclesiae quod attinet, Gregorius IX iam saepius mente volverat Sacros Canones in unum redigere volumen, quod propterea *Corpus Iuris* diceretur, eoque uno, quidquid ubique terrarum, ad res ecclesiasticas quomodolibet spectaret, ad eius tramitem esset in posterum moderandum ac definiendum. At tantae molis opus quis aggrediatur? quem doctorum Pontifex eligat? Talem honorem Gregorius Praedicatorum Ordini defert.

---

(1) Bull. Ord. loc. cit. pp. 95 et 338.

(2) Cfr. Bull. Ord. loc. cit; II et VII prop. loc., et Analect. Ord. Vol. III, pp. 374 sqq., 436 et 623 sq.; Vol. IV pp. 111, 118 sq., 120 sq. et 252 sq.

S. Raymundus de Pennafort vir sane utriusque iuris peritissimus, improbo labori iussu Pontificis incumbit, ac post annos tres Gregorio Pontifici novum *Corpus Iuris* exhibet, qui gratissime excipiens oblatum volumen, diu optatum confectumque opus, const. *Rex Pacificus* d. 5 Septembris 1234, et Ecclesiae uti legalem codicem praebet, et quid studii ac laboris in eo redigendo praestiterit d. Raymundus palam his Pontifex ipse fatetur: "Sane diversas Constitutiones, et Decretales Epi-" stolas Praedecessorum nostrorum in diversa dispersas volumina, qua-" rum aliquae propter nimiam similitudinem, et quaedam propter con-" trarietatem, nonnullae etiam propter sui prolixitatem confusionem indu-" cere videbantur, aliquae vero vagabantur extra volumina supradicta, " quae tanquam incertae frequenter in judiciis vacillabant, ad commu-" nem, et maxime studentium utilitatem, per dilectum filium Fratrem " Raymundum Capellanum, et Poenitentiarium nostrum in unum volu-" men resecatis superfluis, providimus redigendas. " (1)

Id ergo maximi est honoris quod Praedicatorum Ordo ab uno Raymundo codicem Canonicum, iubente ac approbante Gregorio PP. IX, universae Ecclesiae obtulerit, qui, qualem ediderat Raymundus, per septem ferme aetates ad nostra usque tempora viguit, vigetque.

Sed et in Conciliis, opera FF. nostrorum usi, ampliori Pontifices honore Ordinem Praedicatorum illustrare consueverunt.

Primum Lugdunense Concilium congragarat, anno 1245, Innocentius IV, in quo quidem, plura licet, eaque maximi momenti negotia agerentur, omnium utique praecipuum erat Friderici Imperatoris Romanorum, huius nominis II, condemnatio atque a throno regali pariter ac imperiali depositio. (2)

Pontifex, quum de re utique difficiliori, et persecutioni ac suppliciis prorsus obnoxia ageretur, ratus est temeritatem contumaciamque Friderici sese numquam eversurum, nisi viros opponeret, fortitudine atque animo longe praestantiores, quibus "velut constantibus Fidei, Justitiae, " et Ecclesiasticae libertatis athletis" (3) uteretur; Innocentio Papae igitur Praedicatorum Familia optime adesse dignoscitur, quare Pontifex, dato prius diplomate *Humiles habitu*, sub diem 21 Decembris eiusdem anni, omnes Ecclesiae Praelatos certiores reddit, nactum se FF. Praedicatores huiusmodi viros, "Fratribus eisdem, praevia deliberatione solemni," ut sententiam in eodem Concilio in Fridericum latam publicarent, commisisse. (4) FF. inde Praedicatores magnopere excitavit conss. *Sane* d. 20 Martii 1247 et *Dei filii* d. 23 eiusdem mensis et anni. (5) Sic

---

(1) Bull. Ord. T. I, p. 69.
(2) Labbe: Sacrosancta Concilia. XI, p. 638 sqq.
(3) Cfr. Bull. Ord. loc. cit. p. 172.
(4) Bull. Ord. loc. cit. p. 158.
(5) Bull. Ord. loc. cit. p. 172 et VII p. 414.

ergo Innocentio IV iubente, iussa eiusdem Pontificis plenissime ac fortissime adimplenda contra Fridericum Ordini Praedicatorum sunt delata, quod quidem sibi, ut fidei, ita et honoris, haud exigui argumento est. (1)

In alio quoque Lugdunensi Concilio, quod, Gregorio X Pontifice Maximo, anno 1274, celebratum est, potioribus Ordo noster praefulsit honoribus tum in Praelatorum et Fratrum numero, qui illuc convenere, tum in virorum scientia ac pietate clarissimis (2) tum etiam in rebus tum etiam in rebus atque negotiis Concilii gravioris momenti, sive praeparandis, sive efficiendis. Hoc enim Concilium, quacumque ex parte spectetur, opera FF. Praedicatorum incoeptum, perfectumque sit fateatur oportet; id certe ad gloriam peculiarem eidem Ordini cedit.

Siquidem, cum Gregorius Pontifex, iam biennio ante Concilium indixisset, (3) de agendis tum plures literas remisit, quibus virorum scientia, prudentiaque praestantium consilium captaret. Magistro quoque Ordinis Praedicatorum, B. Ioanni Vercellensi literas incip. *Dudum super* sub diem 11 Martii 1273 dedit, (4) ut pro sua ipse doctrina atque experientia, de quibus praecipue agendum foret in Concilio, ipsi opportune responsum magistrali sigillo munitum daret. Huiusmodi autem negotium Magister suo antecessori, B. videlicet Humberto de Romanis, perficiendum commisit. Humbertus vero paulo post opus edidit *De his quae tractanda videntur in concilio generali Lugduni celebrando sub Gregorio papa X.* (5) Quapropter totam Concilii materiem Praedicatorum alumnus, Humbertus nempe, disposuit paravitque, ad cuius tramitem fidelissime Pontifex Concilium est moderatus. (6)

---

(1) Quod eo negotio FF. nostri optime respondissent Summo Pontifici, fortiter quoque et viriliter contra Imperatorem se gessissent, id argumento est, quod Fridericus ira exardescens feratur ita de eis dixisse: "Canes istos latran-
" tes, hos impostores quam maxime expedire videtur vulpium more capere,
" binosque alligatos, quo alii compescantur, lento igne consumere." Cfr. Huillard-Breholles: Historia diplomatica Frederici II Paris. 1853, T. V. Sed et facto nostrates persecutum fuisse constat. Siquidem et Conventus nostros diripuit, fratresque vel cruciatibus affecit, vel fugatos insectatus est. Quapropter Magister Ordinis, tunc temporis Fr. Ioannes Teutonicus, in Capitulo Generali apud Montempessulanum celebrato, a. 1247, enixe Conventibus commendavit fratres a Lombardia, Tuscia atque Teutonia expulsos. Cfr. Acta Cap. Gen. ed. Reichert p. 40.

(2) Patribus Concilii haud parvae admirationi erant alumni Ordinis Praedicatorum ibi praesentes, qui stupore affecti, ut verbis utamur Fr. Sebastiani de Olmeda in Op. cit. dicebant: "Ecce quam grandis facta est novella Prae-
" dicatorum religio, quinquaginta annos vix habens."

(3) Bull. Ord. T. I. p. 506 sq.

(4) Reg. Litter. Gregorii PP. X. An. I, Epist. 219 Bibl. Vatic.

(5) Mothon: Vita del B. Giovanni da Vercelli. Trad. ital del R. Sac. Luigi China. Vercelli 1903, p. 340 sqq. Echard Op. cit. ib. p. 146 sq.

(6) Concilii Lugdunensis Acta cum Humberti opere mox laudato conferenti, facillime erit manifestum, omnia Concilii negotia ad normam ab Humberto nostro excogitatam ac propositam fere esse confecta.

Unio Graecae cum Latina Ecclesia ex obiectis Concilii erat ; quae sane opera Praedicatorum hac in Synodo viriliter effecta est. Iam enim Gregorius X S. Thomae Aquinati praeceperat ut sese ad Concilium conferret, opusque quod "*Contra errores Graecorum*" ediderat, secum deferret. At Angelicus Doctor morte praeventus, inter Patres Lugdunenses haud sedere potuit : eius tamen libro usi sunt Patres, ut catholicam fidem coram Graecis defenderent, horumque obiectis responderent. Duo ex Ordine Praedicatorum alumni, Gregorio deligente, solemnem Latinorum cum Graecis disputationem habuerunt, quorum alter, Fr. scilicet Guillelmus de Morbeka, interpretis fungebatur munere, alter vero, Fr. Petrus de Tarantasia Cardinalis Ostiensis, tardius autem eiusdem Gregorii in pontificatu successor nomine Innocentii V, disputationem ipsam, uti praeses, moderabatur, (1) quae utique summa omnium laetitia Graecorum unione feliciter coronata est.

At maximum sibi honorem Ordo Praedicatorum in eo Concilio est adeptus cum, Fr. Petro de Tarantasia suggerente, Gregorius X const. *Ubi periculum*, qua electio Summi Pontificis in posterum facilis, brevis, atque libera undequaque evaderet lege *conclavis*, omnibus Cardinalibus renitentibus, post longam disceptationem edixerit. Etenim formam, qua Catholica Ecclesia Pontificis Maximi moderatur electionem, Ordo noster ei praestitit. Hic enim iam ab anno 1228, atque adeo ecclesia prior, formam *conclavis* pro Magistri electione veteri Libro Consuetudinum insertam habuerat hoc modo: "Priores provinciales predictarum provin-
" ciarum VIII. singuli cum duobus fratribus in capitulo pro-
" vinciali electis.... postquam fuerint congregati in ij. feria post pen-
" tecosten, a prioribus conventualibus illius provincie, et fratribus pre-
" sentibus in loco in quo eleccio est facienda, IN UNO CONCLAVI FIR-
" MITER INCLUDANTUR, ita quod inde nullatenus valeant egredi, nec eis
" ullo modo aliqua alimenta ministrentur quousque magister ordinis se-
" cundum formam canonicam sit electus." (2) Hanc autem formam eligendi Romanum Pontificem, quoad substantiam, scilicet *per conclave*, utpote, experientia docente, maximae utilitatis, ab Ordine nostro mutuatam hactenus servat Ecclesia. (3)

---

(1) Mothon: Vie du Bienheureux Innocent V Rome 1898 p. 318.

(2) Dist. II, Cap. X. Cfr. Analect. Ord. Vol. II, p. 638.

(3) Sane huius Constitutionis utilitas facto prorsus innotuit, ubi Ioannes XXI et Nicolaus IV eam penitus irritam fecere. (Cfr. Raynaldum Hist. Eccl. III, p. 403) Etenim, mortuo Ioanne XXI, Ecclesia Pastore viduata fuit mensibus sex; atque post Nicolai IV obitum, cum maximo christianae reipublicae detrimento et scandalo, iterum toto biennio et ultra, usque dum, favente Cardinali Latino de Malabranca O. P., S. Caelestinus V esset tandem electus, qui tamen, eodem suadente Cardinali, iterum constitutionem huiusmodi confirmavit, quae hactenus adhuc pleno vigore pollet (Op. cit. IV p. 153 sq.).

Quapropter, ut Card. Fr. Petrus de Tarantasia ob commune bonum, Ecclesiam lege conclavis donavit, ex Ordinis Praedicatorum codice desumpta, ita ablatam alius Ordinis alumnus, eidem Ecclesiae restituit.

Postremum contulit honorem Ordini Gregorius Pontifex const. *Nuper in Concilio* d. 20 Septembris 1274, (1) secundo post eiusdem celebrationem mense, qua nempe Magistro ac Fratribus imposuit ut inter christifideles cultum erga SS. Nomen Iesu "efficacibus rationibus" excitarent ; quod certe munus quam gratissimum sibi esset idem Magister literis testatus est, (2) cui et universus Ordo Praedicatorum plaudens adhaesit, atque cultum SS. Nominis totis viribus promovendo incubuit.

Primo Ordinis saeculo nondum peracto, iam tertio Ecclesia Viennae Allobrogum coacta est, Clemente V Pont. Max. praesidente, anno vero 1311 exeunte. In hoc quoque Concilio, Ordinis Praedicatorum honores iterum coram Patribus fulsere, nedum ex Ordinis alumnis doctrina, famaque praestantissimis, verum etiam numero Praelatorum nostrorum, scribente Fr. Sebastiano de Olmeda : "numerati sunt in con- " cilio viennensi Ecclesiarum pontifices ex Ordine tot, ut multis stupor, " nonnullis livor fieret." (3) Inter Praedicatores autem, qui tam nobili consessu claruerunt, merito recensendi occurrunt Card. Fr. Nicolaus de Albertinis Episcopus Ostiensis, et Card. Fr. Nicolaus de Farinula, Fr. Berengarius de Landora, Prior Provincialis Tolosanus ac totius Ordinis Vicarius, et Fr. Raymundus de Ponte Episcopus tunc Valentinus, vir magni nominis theologus, qui processum adversus Templarios Concilio ex probatis detulit, quique "unus e quinque viris fuit ad id selec- " tis, qui graviores et majores in eo tractandas fidei et morum seu " disciplinae causas discuterent, et quorum judicio caeteri patres acqui- " everunt. " (4) Heic ergo obiter est referre in hac Synodo, quemadmodum et in praecedentibus, FF. Praedicatores multiplici honore Pontificem exaltasse, cui vicem ipsi rependentes, doctrina actisque publico Ecclesiae bono insudarunt. (5)

Ex his iam dictis igitur quam certius evidenter constare non diffitemur, quot honoribus, iisque peculiaribus, Apostolica Sedes Ordinem nostrum sit dignata extollere. At hic ulterius aliquid est dicendum de amplioribus, quos eidem Ordini Romani Pontifices largiti sunt effusissimis manibus.

Verbi deputatos ministerio summi Pontifices probe noverunt FF. nostros, ac quo Crucesignatorum copias pararent, eorum zelo, eloquio, atque opera usi sunt. Imo, ut ad sacrum bellum populi excitarentur, tum pro Religionis defensione, ac Terrae Sanctae, Imperiique Con-

---

(1) Bull. Ord. loc. cit. p. 524.
(2) Litterae Encyclicae Magistrorum Generalium Ord. Praed. edit Reichert Romae 1900 p. 95 sq.
(3) Op. cit. f. 52.
(4) Echard Op. cit. ib. p. 520.
(5) Fontana: Sacrum Theatrum Dominicanum. Romae 1666. Part. II, Cap. III, Tit. 6, p. 371.

stantinopolitani subsidio, cum adversus haereticos, eorumque fautores, schismaticos, infideles, Tartaros, Saracenos, aliasque efferas gentes, FF. Praedicatorum Summi Pontifices opem implorare haud semel censuerunt. Huius rei illustria nobis monumenta praebent: Honorius III const. *Benedictus Deus* d. 11 Ianuarii 1227; Gregorius IX conss. *Cum misericors* d. 13 Septembris 1230, *Lucis eterne* d. 29 Octobris 1232, *Fidelium* d. 6, *Gaudium* d. 7 eiusdem Octobris 1233, *Pium et sanctum* d. 17 eiusdem mensis 1234, *Quantum nos* dd. 15 Maii et 1 Decembris 1235, *Suavis Dominus* d. 23 Februarii 1236, *Ad subveniendum* d. 9 Novembris 1237, *Literas quas Nobis* et *Sicut literae* d. 9 Augusti 1238 et *Quia per subsidium* d. 23 Martii 1240; Innocentius IV conss. numero XVIII, ac incipientibus: *Qui justis causis* d. 23 Septembris 1243, *Ut talentum* d. 27 Novembris 1250, *Carissimus in Christo* d. 10 Ianuarii, *Ad promotionem* d. 10 Februarii, et *Tunc potissime* d. 2 Aprilis 1253, atque *Malitia hujus* d. 31 Martii 1254; Alexander IV conss. *Qui justis causis* d. 11 Martii 1256, XVIII numero, aliisque duabus eiusdem tenoris d. 21 Augusti sub eodem anno; Urbanus IV const. *Orta est* d. 21 Maii 1262; Clemens IV const. *De summis* d. 4 Aprilis 1267; et Nicolaus IV const. *Terrae Sanctae* d. 1 Augusti 1291. (1)

Alius praeterea pontificius honor vere est habendus, quod Antistites Maximi ratum habuerint ac firmatum, quidquid utilitatis, tum in constituendis, cum in regendis ac perficiendis aliis Religiosorum Familiis, Ordo noster effecerit. Regulares siquidem, utpote dominici gregis pars selectissima, Summorum Pontificum sedulitatem semper obtinuere: his autem, beneficia impertiendi causa, Pontificibus praesto fuit Ordo Praedicatorum. Ordini S. Mariae de Mercede pro redimendis captivis, S. Raymundo agente, et initia, et regimen, ac leges ad normam Constitutionum Ordinis nostri circa annum 1223 datae sunt, quae omnia Gregorius PP. IX apostolica auctoritate firmavit. (2) Ordini autem Teutonico Equitum S. Mariae Ierosolym. utendi liturgia FF. Praedicatorum Innocentius PP. IV const. d. 13 Februarii 1244 facultatem fecit, quam Alexander IV const. d. 23 Februarii 1257 ratam habuit. (3) Ordini autem Servorum B. V. magno fuit adiumento d. Petrus Veronensis;

---

(1) Bull. Ord. TT. I, II et VII pr. loc. Analect. Ord. Vol. III, p. 376. et Vol. IV, p. 48 sq.

(2) De opera Raymundi huic Ordini praestita Clemens VIII in bulla canonizationis eiusdem quae incipit *Romana Catholica* d. 29 Aprilis 1601 haec habet: " B. Raymundus certas vivendi leges praescripsit ad istius Ordinis vocationem " accommodatissimas, quarum approbationem aliquot annis post a felicis recor- " dationis Gregorio Nono, Praedecessore nostro impetravit, et dictum Petrum, " qui eidem Ordini omnia sua prompte dederat, primum etiam Generalem Or- " dinis Magistrum suis ipse manibus habitu eodem indutum creavit. " Cfr. Bull. Ord. T. V, p. 582, et P. Mortier Op. cit. I, p. 262 sqq.

(3) Stehlke: Tabulae Ordinis Theuton. Berolini 1869 p. 356.

quum enim Fidei Quaesitoris anno 1244 Florentiae munus obiret, eiusdem Innocentii iussu, et exordia, et modum vivendi, profectumque huius Ordinis sedulo perpendit, Pontifici magnopere commendavit, atque Servitis causa fuit, ut eorum Ordo ab Apostolica Sede approbaretur. (1) Innocentium IV Carmelitae supplices adierunt declarationem Regulae super dubiis, correctionem ac quorumdam mitigationem in eadem regula contentorum petituri. Negotium totum fidei duorum Ordinis alumnorum, scilicet Fr. Hugonis Cardinalis de S. Charo nuncupati, atque Fr. Guillelmi Anteradensis Episcopi reliquit Pontifex, ac feliciter ab his peractum, apostolica const. *Quae honorem* sub die 1 Octobris 1247 confirmavit; quam vero confirmationem Alexander IV iterum innovavit const. *Cum a nobis* d. 2 Februarii 1256. Eiusdem Carmelitarum Ordinis alumnos ex praescripto Card. Fr. Latini de Malabranca O.P. habitum mutasse, cappaeque albi coloris usum sumsisse, ex const. *Justis petentium* d. 25 Novembris 1295 liquet. (2) Sed et praefatus Innocentius IV, postu-

---

(1) Haec de B. Petri Martyris ope beneficiisque Ordini Servorum collatis, paucis complexus est Archangelus Gianius in Annal. eiusdem Ordinis apud Editores Actor. SS. Aprilis III edit. Venetiis 1738 in Comm. praev. ad Vitam S. Petri Mart. § III, p. 683 sq.

" Cum Sinibaldus Cardinalis de Flisco, post difficilem illam diuturnamque vacationem Sedis, in Summum Pontificem Anagniae apud Hernicos VIII Kalend. Junii electus, anno MCCXLIII, ut hujus Ordinis sub titulo Beatae Virginis exordia agnosceret, Petro Veronensi, Apostolicae Sedis per totam Italiam Inquisitori vigilantissimo, Florentiam adventanti, negotium hoc inter alia demandavit; ut neotericorum quorumdam ea in urbe Religiosorum, sub titulo Servorum B. Mariae Virginis nuper excitatorum, mores et instituta diligenter inquireret; et an essent tolerandi, an potius, juxta decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III, abolendi censeret.... Petrus igitur Veronensis ex Ordine Praedicatorum, vir non minori sanctitate quam virtutibus et doctrina refertus, per totam Italiam, cum omnimoda potestate arguendi pessimos mores et haereticas pravitates inquirendi coercendique, a Pontifice destinatus; dum Florentiae munus sibi demandatum persolveret, hujusmodi titulum Servorum, novam institutionem, eorumque consuetudinem et usum vivendi diligenter inquirens, urbis Episcopum convenit; ejusque testimonium et fidem petens, de singulis quae acciderant, et quomodo sub auspiciis Beatae Virginis initiati forent, certior factus, eos ut plenius agnosceret, ad se accersiri primum, deinde apud illos diversari voluit: Et Bonvisum allocutus cum ceteris Fratribus, eorum originem, vitam, numerum et pleraque alia ad Religionem fidemque spectantia sciscitatus, didicit. Quorum vita irreprehensibili audita, ac sanctitate non ficta diligenter inspecta, vir Dei laetatur, exultat, gratesque ingentes sanctissimae Christi Parenti refert; tum quia tales ac tantos viros in Servos sibi delegisset, tum etiam quod sibi multoties oranti per aenigmaticos excessus revelasset, id quod apertissime tunc in eisdem Fratribus Servis completum esse intelligeret.... Innocentium Summum Pontificem, ut habebat in mandatis, de eorum optima institutione auspicatissimoque exordio reddidit certiorem: quemadmodum et Episcopo Ardingo, et ipsis Fratribus omnem suam operam ad Apostolicam sedem pro eo Ordine augendo, pollicitus fuerat."

(2) Bull. Ord. T. I pp. 177 et 296; II p. 46.

lantibus fratribus Ordinis Cruciferorum, eidem Ordini concedere atque confirmare dignatus est Praedicatorum Ordinis, et ritum sequi, et Constitutiones servare, et hac de re const. *Cum dilecti filii* d. 23 Octobris 1248 edidit. (1)

His quoque honorum cumulis accedit, quod Summi Pontifices sibi conscientiae arbitros in Poenitentiae sacramento FF. Praedicatores haud cunctati sint deligere. Sic Gregorio PP. IX a confessionibus erat S. Raymundus de Pennafort, Alexandro IV Fr. Bonaspemius Perusinus, atque Ioanni XXII Fr. Ptolomaeus Lucensis. (2)

Inter autem honores pontificios merito Praedicatorum Ordo recensendum existimat, quod Romani Pontifices nedum Ordinem ipsum, eiusque personas pariter et opera optimis fuerint prosecuti, verum etiam quod, peculiari quodam affectu, loca nostra illustraverint. In Conventu siquidem S. P. Dominici Aretino saerum Cardinalium Conclave habitum est anno 1276, ibique electus Pontifex Innocentius V. Anuo vero 1288 in Conventu S. Sabinae de Urbe, conclavi apud Praedicatores coacto, Pontifex evasit Nicolaus IV. Anno demum 1316 in Conventu nostro B. V. Lugdunensi ex conclavi Patrum renuntiatus est Ioannes PP. XXII.

Sacrae quoque aedes nostri Ordinis eodem fere donatae sunt honore; nam Urbanus IV in ecclesia S. Mariae ad Gradus Viterbii d. 4 Septembris 1261, et 5 Septembris 1316 Ioannes XXII Lugduni in ecclesia B. V. solemniter Pontifices coronati fuere.

Honorius autem PP. III ecclesiam S. Sabinae publico diplomate, sub diem 5 Iunii 1222, perpetuo Ordini nostro ultro concessit.

At ulterius adhuc in honoribus cumulandis Pontifices progressi sunt. Ex eis enim plures sacra templa Ordinis consecrationis munere suis ipsi manibus donavere. Gregorius IX altare maius ecclesiae S. Sabinae anno 1237 consecravit, Innocentius IV d. 17 Octobris 1251 ecclesiam D. P. Dominici Bononiensem ; Viterbiensem S. Mariae ad Gradus ac Neapolitanam S. Dominici Alexander IV ante an. 1255; atque Patavinam d. Augustini Benedictus XI d. 11 Aprilis 1303, quum Sedis Apostolicae Legati obiret munus.

Postremum est quoque memorandum, quod Summi Pontifices post mortem vix sese a FF. Praedicatoribus avelli posse existimarent ; quapropter dum agerent in humanis, sua sponte deligerunt in in sepulcro quiescere apud nostros. Sic igitur Clementis PP. IV exuviae in ecclesia nostra Viterbiensi, (3) Benedicti XI in Perusino S. P. Dominici templo depositae sunt.

---

(1) Cfr. Annales Ordinis S. Crucis edit. Bois-le-Duc 1858. I, p. 47 sqq. et Bull. Ord. T. VII p. 21 sq.

(2) Fontana Op. cit. ib. Cap. II, Tit. 4, p. 337 et Cap. IV, Tit. 6, p. 402.

(3) Quoad varias vicissitudines, quas huius Pontificis exuviae passae sunt, cfr. P. Mortier Op. cit. II, p. 66 sqq.

His ergo honorum veluti acervis Romani Pontifices Ordinem FF. Praedicatorum, primo vertente saeculo, publice decorarunt. (1)

## § 4. DE PRÆDICATORUM ORDINI ADVERSIS ET SECUNDIS

D. P. Dominicus, uti iam superius diximus, iuxta conceptum mente propositum, Ordinem Praedicatorum constituerat, cuiuscumque Praelati iurisdictione exemptum, sed tantum Apostolicae Sedi immediate et directe subiectum. Ille primus invexit in Ecclesia Dei novum ius, quo Romanus Pontifex, qui ad ea usque tempora iurisdictionem nonnisi indirecte ac mediantibus episcopis in christifideles exercebat, hanc immediate habere coepit. Huius autem rei gratia Pontifices Maximi saepius Ordinem nostrum solius Apostolicae Sedis iuris esse definierunt, omnique Ordinariorum ac inferiorum Praelatorum subiectione prorsus immunem. Quod et facto confirmarunt, quum Praedicatorum Familiam innumeris privilegiis, iuribus ac facultatibus donarent, quae omnia indubitate hoc apertissime testarentur.

Verum ea rerum conditio, Praelatis inferioribus haud probabatur, quippe huiusmodi privilegium in Ecclesia suis existimabant iuribus detrimento fore, Ideo acriter certatum est ut eo nostri privarentur. Plurima monumenta, eaque varia, hoc testantur. Vi enim huius privilegii, Praedicatoribus ius erat, absque ullius licentia Praelati, ubique e suggestu verbum Dei proponedi, fidelium confessiones excipiendi, sacras aedes populo aperiendi, necnon eos ibi sepelendi. Id aegre ferentes plerique ex clero saeculari nullis pepercerunt laboribus, ut Ordinis privilegia impugnarent, ac, si possent, ipsum Ordinem diruerent, (2) eo vel magis quod christifideles Fratrum Praedicatorum eximiam vitae sanctitatem oculis perspicientes, manibusque, si ita dicere fas sit, contrectantes, ac in eisdem fratribus lucri contemptum, doctrinam, lenitatem, zelumque apostolicum, nimio affectu illos prosequebantur, atque ad eos catervatim confluebant. Hinc aemulationis initium, hinc dissensionis materia, hinc perpetuum adversus nostros bellum, quod in dies multiplici querimonia, persecutione ac illata violentia increscere visum est.

At nunc quaerendum sane occurrit, qua se facie, his Ordini nostro impendentibus procellis, Summi Ecclesiae Antistites obtulerint. Si res historicis momentis pensetur, omnino fateatur oportet, defen-

(1) Chronica et Chronic. Excerpt. edit. cit.; Fontana Op. cit. ib. Cap. IV, tit. 11, p. 406 sq., Bull. Ord. I pp. 15, 200, 271, 284, 416; II, p. 86; Mamachi Op. cit. in App. Monum. col. 149 sq. et Mortier loc. cit. p. 436.

(2) In hac §, ut de persecutione contra nostros, ita de eorum defensione tantum agendum nobis erit, eo quia de uno Ordine Praedicatorum erit sermo. Quidquid vero aliorum regularium Familiae perpessae sunt, praecipue in nostrates iam acrius concitatum erat.

soris partem egisse Pontifices, eosque, suprema qua pollebant potestate, pro Ordine Praedicatorum fortiter adversus hostes eius stetisse. Ipsi enim commune Ecclesiae bonum praevalere dioecesum bono, atque commodum et salutem animarum utilitati personarum, compertum habentes, non tantum nostri Ordinis et ministerium, et uberes fructus plurimi semper fecere, sed etiam verbis factisque Ordinem ipsum a quovis hostium incursu defendere suas esse partes duxere.

Primam persecutionem Ordini moventibus viris e clero saeculari, Innocentius PP. IV fortiter restitit; siquidem, const. *Nimis iniqua* d. 17 Septembris 1245, FF. Praedicatores commendans, molestiis et damnis eis iniuste illatis enumeratis, his tandem molestantes increpat verbis : " Nimis iniqua vicissitudine largitori bonorum omnium respondetur, dum " hi, qui de Christi patrimonio impinguati luxuriant damnabiliter in " eodem, Christum patenter in famulis suis persequi non verentur, ac si " factus sit impotens Dominus ultionum." (1)

Exinde nihilominus adversarii, Parisiensi Universitate secreto urgente, apud Romanam Curiam iterato querebantur, quod Dominiciani fidelium confessiones, ipsosque fideles in suis caemeteriis sepeliendos exciperent, absque Parochorum licentia. Innocentius Pontifex, faciles aures calumniis praebens, quae FF. Praedicatores Apostolicae Sedis venia freti antea peregissent, omnino improbanda, utpote reprehensione digna, censuit die 10 Maii 1254. (2) Quo cognito, huiusmodi questum vehementiori animo et caeteri movere contra nostros ausi sunt. Quod vero maximum est, paucis interjectis mensibus, Pontifex, edita constitutione *Etsi animarum* d. 21 Novembris 1254 Fratres Praedicatores et Minores de immoderato privilegiorum usu in sacro ministerio arguens, eis penitus interdixit ne in posterum habitis olim privilegiis uterentur. (3) Dolendum id quidem, pontificio decreto nostris ablata fuisse nonnulla privilegia, quae in tantum animarum commodum cedebant, ab Honorio III, Gregorio IX, et ipso Innocentio quondam concessa.

Sed ad consulendum utriusque Ordinis honori caelitus provisum est. Etenim refert Thomas Cantipratensis: "Quidam nostro tempore Papa, " cuius nomen propter Sanctae Sedis reverentiam pertransimus," (4) (Innocentius IV,) eo ipso die quo signaverat hanc constitutionem "para- " lysi percussus obmutuit, nec unquam postea invaluit aut surrexit," (5) imo post dies sexdecim Neapoli decessit. (6)

---

(1) Bull. Ord. I, p. 153.
(2) Denifle : Chartularium Universitatis Parisiensis Paris. 1889 I p. 296.
(3) Denifle Op. cit. ib. p. 267. n. 240.
(4) Op. cit. p. 173.
(5) Op. cit. p. 175.
(6) Heic subjiciendum videtur quod d. Thomas Aq., tunc temporis Parisiis scholas nostras regens, in somnis viderat. Ita enim Vitae Fratrum P.IV,C, XXIV,

Dum ergo tam dira procella Ordo conturbaretur, ac veluti fluctibus opertus in eo esset ut mergeretur, repente defensor adfuit Raynaldus Cardinalis Ostiensis, qui ex nobili Comitum Signiae stirpe oriundus, Petri cathedram, Alexandri IV suscepto nomine, ascendit d. 21 Decembris 1254. Etenim crastino post ipsius electionem die, const. *Nec insolitum* edidit, quae const. *Etsi animarum* infirmat prorsus et abrogat, nulliusque valoris solemniter declarat. (1) Iam vero, ut fausta laetaque sperandi locus esset, decimo post electionis die Pontifex, edito diplomate *Summa summi*, Magistrum ac universos FF. Praedicatores de sua electione certiores reddidit, eorumque precibus sese commendavit.

Magister Ordinis Humbertus, ex Capitulo Generali Mediolanensi, a. 1255 celebrato, his tantae victoriae nuntium Fratribus dedit: "Fratres, magnifice gracias agite Domino Deo nostro, qui secundum magnam misericordiam suam de magnis nuper periculis ordinem liberavit et in curia Summi Pontificis ipsius fecit ordinis negocia pro-

---

"§ VI, edit. cit. p. 215 narrant: "Frater quidam qui erat magister Parisius in theologia, cuius vita et sciencia nota est et perutilis ecclesie Dei, vidit in sompnis Parisius, eo tempore, quo magister ordinis contra quosdam ordinem vastare volentes in curia domini pape pugnabat, quod fratres multum attoniti starent respicientes in celum, et dum respexissent diu dicebant. 'Vide, vide;' et videbat ipse cum aliis in celo scriptum litteris aureis scriptum istud: '*Liberavit nos Dominus de inimicis nostris et manu omnium, qui oderunt nos*;' quod est secundum translacionem, qua Romana ecclesia utitur in psalmo. Eodem autem tempore illa littera gravis, que contra fratres data ab Innocentio fuerat, est a domino Alexandro, successore illius, Dei gracia revocata."

(1) Denifle Op. cit. ib. p. 277. haec habet in nota ad const. *Nec insolitum*: "Originale in Arch. départ. des Bouches-du-Rhône (Marseille), fonds Dominicains d'Arles. Bulla plumbea filis cannab. appenditur. In aversa membrana: "Predicatorum". Epistola invenitur insuper ibidem litteris episcopi Caturcen. mensis Julii an. 1255 inserta. Alterum originale in Arch. départ. de la Côte-d'Or (Dijon), fonds Cordeliers, liasse 907 (H. n° 49). In aversa membrana: "Minorum". Ibidem praeterea quatuor vidimus fratris Guidonis Claromont. (O. P.) episcopi an. 1255 "in octava apost. Petri et Pauli". In eodem Arch., fonds Dominicains, liasse 930 (H. n° 53) vidimus an. 1255, 10 Junii.—Ibidem Cartulaire des Dominicains, H. 221, fol. 1. Arch. départ. de la Gironde (Bordeaux), fonds Dominicains, 651 bis (s. XIII), p. 74. Cod. Vat. 9403, fol. 44; Vat. Ottob. 56, fol. 120. Cod. Rutenen. Constitut. ord. Praed. ad ord. pertinens, p. 230. Bulaeus, III, 273. In Bull. Rom., apud Ripoll, Bull. Praed., 1, 267, Jourdain, n° 114, hae litterae peram ad 2 kal. Jan. referuntur. Alexander IV epistolas similis tenoris cum initio: Quedam ab apostolica sede, posteriori etiam tempore emisit, nempe ij id. Dec. an. 1 (12 Dec. 1255) ad archiep. Strigon. et episcopum Secoviens. (cod. Ottob. 15, fol. 211b); ad archiepisc. Colon. et episcup. Argentin. (Ottob. 56, fol. 120); ad episcop. Perusin. et Senen. (Vat. lat. 9403, fol. 46, apud Potthast, n° 16129); ad archiepiscopum Viennens. et episcop. Senetens. (duo vidimus an. 1260 in Arch. départ. de la Côte-d'Or, fonds Cordeliers, liasse 907), et ad alios".

" sperari." (1) Imo Alexander Pontifex, cui maxime cordi erat Ordinem tueri, paulo post const. *Virtute conspicuos*, sub diem 28 Martii 1261, omnia privilegia quoquomodo Praedicatoribus concessa solemniter confirmavit, eorumque hostibus os fortiter obstruxit.

Sed, uti moris est in humanis, lites quondam ex invidia procedentes, facile sopiri videntur, at non omnino extingui. Quamvis enim in mox laudato Generali Capitulo, Magister Ordinis, peculiaribus sanctionibus, privilegiorum abusui, qui apud quosdam ex nostris inducebatur, satis occurrisset, (2) hostes tamen Ordinis haud destiterunt, omni quo poterant conatu, Praedicatorum iura et privilegia clam atque aperte impugnare.

Rem probat eventus. In Concilio Lugdunensi II "plures praelati, et ecclesiarum Rectores apud Pontificem Senatumque Cardinalium aegre conqueri coeperunt quod Praedicatores scilicet et Minores omnia ad se traherent oporteretque ideo circa eorum statum aliquid immutare." At Praedicatores Minoresque strenuum defensorem nacti sunt Gregorium PP. X, qui "primo quasi indignabundus simpliciter respondit dicens: Ite et vos bene vivite et studiis litterarum intendite si vultis quae petitis possidere. Hi enim cum Maria sedent secus pedes Domini et cum Martha satagunt circa frequens ministerium eius. Ipsisque etiam Evangelicum illud improperantibus quia hi novissimi adhuc una hora non fecerunt et pares nobis facti sunt, obstitit pontifex in verbo Domini addens quia amen dico vobis erunt novissimi primi et primi novissimi." (3)

Quo autem magis magisque Ordinem nostrum adversus hostium furorem tueretur, Pontifex ipse, Cardinalibus Fr. Petro, Ostiensi Episcopo O. P., atque Fr. Bonaventura Albanensi O.M. mediantibus, Patres Capituli Generalis Ordinis nostri, iis fere diebus Lugduni coactos, admonitos voluit, ut Ordinis periculo prudenter consulerent ordinationibus sanciendis; quod quidem ipsi magni habentes, conciliationis, pacisque veluti foedere cum clero saeculari, renuntiatione et moderamine privilegiorum adimplere curarunt. (4) His itaque constitutis, quum in Concilio perventum eo esset, ut de Regularibus quidquam decernendum foret, Gregorius X, const. *Religionum* ita expresse cavit: "Sane ad Praedicatorum et Minorum Ordines quos evidens ex eis utilitas ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos, praesentem non patimur constitutionem extendi." (5)

Interea succrescentibus frustra adversariorum tum querelis, tum ausis violenter intentatis, et alii Pontifices acriter pro Ordine Praedi-

---

(1) Litterae Encycl. Mag. Gen. Ord. p. 20.
(2) Cfr. Litt. Encycl. p. 21 sqq.
(3) Sebast. de Olmeda Op. cit.
(4) Cfr. Acta Cap. Gen. Lugd. 1274 edit. cit. p. 176 et Litt. Encycl. p. 96 sqq.
(5) Labbe Op. cit. p. 988 sq.

catorum tuendo steterunt. Martinus enim IV const. *Ad fructus uberes*, d. 10 Ianuarii 1282, FF. nostros ab omni subiectionis nota prorsus exemit in praedicationis officio atque confessionibus fidelium excipiendis. (1) Honorius vero IV et Episcopum Zamorensem de iniuria Fratribus ac sororibus Ordinis illata terruit, et pacta ab nostris contra suorum tenorem privilegiorum inita rescidit. (2) Sed et Nicolaus IV Ordinem adversus aemulos fortiter tuendo, absolutissima libertate donavit const. *Dum sollicite* d. 28 Iulii 1288. (3) Benedictus autem XI iterum Praedicatores et Minores tutari decernens, const. *Inter cunctas* d. 17 Februarii 1304, Bonifacii VIII Praedecessoris const. *Super Cathedram* infirmavit, ac laudati Martini IV const. *Ad fructus uberes* vim amissam reddidit. (4)

Iam strenue Pontifices Ordinem Praedicatorum defendentes contra aemulos hostesque e clero saeculari viros, haud minori animo sustinuerunt contra alios durissimae cervicis adversarios, qui nova atque inaudita persecutione Praedicatores crudeliter, impieque sunt insecuti.

Anno 1252 vertente, Magistri saeculares Universitatis Parisiensis bellum suum inierunt, hostiumque Ordinis copias exaggerarunt. Quum enim inviderent tum numero doctorum nostrorum, tum discipulorum, caetu clam coacto, iterum iterumque statuta quaedam, nulla quidem, nisi privata, auctoritate freti, decreverunt, (5) quibus eo dumtaxat intenti videbantur, ut Regularium scholas everterent, praesertim FF. Praedicatorum, qui tum Parisiis iam duas cathedras moderabantur. (6)

---

(1) Bull. Ord. T. II, p. 1 sq.
(2) Bull. Ord. loc. cit. pp. 7, 9 sq.
(3) Bull. Ord. loc. cit. p. 20.
(4) Bull. Ord. loc. cit. p. 88 sqq.
(5) Denifle Op. cit. ib. pp. 135, 226 sq., 243 et 310.
(6) Hic non abs re erit paucis lectori exhibere qua via, quove iure nostri Parisiis duplicem theologiae cathedram fuerint adepti, quum id praecipue Magistris Parisiensibus fuerit lapis offensionis et petra scandali, eosque ad tam diram adversus Praedicatores persecutionem moverit.

Praedicatores Parisios iam ab anno 1217 ingressos Universitatis Magistri benigno vultu receperunt, quibus Ioannes Decanus S. Quintini et hospitium S. Iacobi donavit, et ex voluntate Honorii PP. III theologicas disciplinas eos docuit. (Cfr. Denifle Op. cit. ib. p. 101, n. 44). Quum autem, anno 1229, magna ibidem perturbatio, Studentium Universitatis opera, fuisset concita non sine sanguinis effusione, resque ad Apost. Sedis Legatum et Reginam fuisset frustra delata, publico Magistrorum edicto, quod viginti unum professores signarant, statutum est, neminem ex magistris aut studentibus Parisiis causa studiorum ad sex usque annos moraturum, nisi infra mensem de illata Universitati iniuria plene satisfactum fuerit, interim scholasticos cursus publice ac privatim interdictos omnino fore toto sexennio. Elapso itaque mense, Magistri ac Studentes Parisiis discesserunt.

Guillelmus Arvernus autem Parisiensis Episcopus, qui optime de Praedicatoribus sentiebat, quique Magistros sua sponte exulantes viderat, ne ex eorum absentia studia Universitatis omnino intermitterentur, suo iure utens, Joannem a S. Ægidio Magistrum in Theologia, sub quo FF. Praedicatores

Regebant tunc ibidem nostratum scholas Fr. Bonushomo Brito ac Fr. Helias Bruneti Petragoricensis, qui nolentes huiusmodi statutis acquiescere cum suorum detrimento iurium, tamquam rebelles et excommunicati ab eisdem Magistris publice denuntiati sunt. Propterea praefati Regentes, quemadmodum et Regens Minorum, ad Summum Pontificem appellare censuerunt. Innocentius IV autem, edita d. 1 Iulii 1253 constitutione, Magistros Parisienses de ausu temerario increpavit, eisque pariter ut inter Universitatis Magistros dictos Regentes reciperent imposuit, ac Episcopos Silvanectensem et Ebroicensem super his exequendis praefecit. Insuper, elapso vix mense, alia const. quae incipit *Excelsi dextera* sub diem 29 Augusti reconciliationis iura praedictos Regentes inter ac Universitatis Magistros sancienda praecepit, unius dumtaxat anni spatio his peremtorie concesso.

At Magistri Parisienses Pontificis verba, iussa ac ipsam condemnationem parvi facientes, proximo octobri, scholisque incipientibus, iterum excommunicatos edixerunt Regentes nostros. Insuper mense februario, a. 1254, libello famoso calumniis atque odio scatenti FF. Praedicatores denigrare ausi sunt.

Albertus Parmensis, Apostolicae Sedis Legatus erat tunc Parisiis, qui utriusque partis rationibus pensatis, et maligna Magistrorum eorumdem mente inspecta, rem detulit Summo Pontifici. Romam quoque Universitas mittendum curavit suae causae procuratorem Guillelmum de Sancto-Amore Canonicum bellovacensem, Praedicatoribus infensissimum. At Innocentius morte praeventus non potuit quaestionem absolvere. (1)

---

lectiones tum audiebant, Parisiis adhuc manentem selegit, utque scholasticum cursum resumeret, praecepit, Fr. Rolando Cremonensi O. P., uti Baccalaureo, illi designato; sicque Episcopi auctoritate Joannes, tamquam Regens in Conventu nostro S. Iacobi, eodem anno, scilicet 1229, docendi munus resumpsit, sub quo Fr. Rolandus Baccalaureus incoepit: hos autem secuti sunt et Fratres nostri S. Iacobi, et Studentes omnes, qui Parisiis adhuc degebant. Et haec est fundatio atque erectio primae theologicae facultatis, quam Ordo noster Parisiis consecutus est.

Proximo vero anno, Fr. Rolandus licentiatus est Magister, qui in domo nostra Saniacobaea theologiam legere incoepit, Joanne a S. Ægidio, qui iam Magister existens in Ordinem nostrum eo tempore ingressus fuerat, scholas seorsum ad auditorum instantias resumente: quod quidem, plaudentibus omnibus, contigit anno 1231 paulo post reditum Magistrorum Universitatis. Et haec est erectio secundae facultatis Theologiae, quam Nostrates ibidem obtinuerunt, Magistris Parisiensibus iam utique perventis, at minime tamen vere ac definitive congregatis.

Exinde Parisiis duas habuimus theologiae cathedras et scholas: quarum altera iuris erat dumtaxat Provinciae Franciae pro alumnis eiusdem provinciae; altera vero caeteris Ordinis nostri Provinciis addicta, ad quam ex omnibus provinciis tres alumni studentes mitti poterant. (Cfr. De Boulay: Historia Universitatis Parisiensis. 1666 III, p. 138; D'Achery: Spicilegium III, p. 1888 et VIII. p. 573; Echard Op. cit. ib. p. 100 sq; Denifle Op. cit. ib. p. 253; et Mortier Op. cit. ib. p. 234 sqq).

(1) Mortier Op. cit. ib. p. 438 sqq.

Victoriae quidem insignia Alexander PP. IV Praedicatoribus parabat, suscepta eiusdem Ordinis defensione. Rem ita narrant *Vitae Fratrum*. "Tempore quo quidam magistrorum Parisiensium universitatem " contra fratres concitaverunt graviter, et cum ignorarent fratres, quid " agere deberent, ordinaverunt in capitulo generali, quod per totum " ordinem singulis septimanis a fratribus prostratis septem psalmi cum " letania in singulis conventibus dicerentur. Erat autem in conventu " Romano quidam frater devotus, qui parumper obdormiens, cum fra- " tres dicerent letaniam, visus est sibi videre super cooperturam altaris " dominum Ihesum Christum sedentem et beatam virginem iuxta eum, " que una manu brachium eius tenens, et alia manu extenta ad fratres, " ei prostratos et orantes ostendens, dicebat: 'Exaudi eos, exaudi eos.' " Hec autem idem frater narravit magistro ordinis, qui tunc Rome erat. " Nec discredendum, quin tunc beata virgo intercesserit et obtinuerit " pro ordine, quia post modicum data fuit sentencia a domino papa " Alexandro pro ordine in negocio, quod contra universitatem habebat, " in quo si succubuisset, magna iactura ordini imminebat." (1)

Praedicatoribus itaque haerentibus pavore, quod hostes eorum nullum non moverant lapidem in Curia Romana, quo Ordinem ipsum calumniarentur atque prosternerent, statim occurrit Alexander Pontifex, qui die 14 Aprilis 1255, edito diplomate *Quasi lignum vitae*, (2) postquam actorum ab Magistris Parisiensibus seriem, eorumque renitentiam contra Praedecessoris Innocentii IV iussa, atque ausa illicita in Regulares perpetrata retulerat, mandavit ut Praedicatores iam exclusos, tum a docendo, tum a Magistrorum consortio, protinus admitterent in priori munere atque dignitate. Ait enim Pontifex: "Praedictos " insuper Praedicatorum Ordinis Fratres Theologicae facultatis Magi- " stros, ad Magistrorum consortium, ipsosque ac auditores eorum ad " Universitatis collegium de nostrae potestatis plenitudine restituentes " omnino, et decernentes ad eadem consortium, et collegium a vobis " in dulcedinis ubere sine difficultate qualibet admittendos, omnes sen- " tentias privationis, seu separationis a consortio Universitatis, vel si- " milibus, sive poenas alias in eosdem Fratres vel scholares eorum, " praemissorum occasione prolatas, penitus revocamus. " (3)

Praeterea ne id praetermitteretur, Pontifex, ea ipsa die aliis constitutionibus duabus incipientibus *Controversiam*, (4) Parisiensibus Magistris primo, ut Fratres Bonumhominem ac Heliam Ordinis Praedicatorum, eorumque auditores iterum admitterent in Universitatem, praecepit; Episcopis Aurelianensi et Antissiodorensi secundo, ut Parisiensem Univer-

---

(1) Part. I, Cap. VI § VIII, ed. cit. p. 44 sq.
(2) Bull. Ord. T. I, p. 276 sqq.
(3) Bull. Ord. loc. cit. p. 278.
(4) Bull. Ord. loc. cit. p. 279 sq.

sitatem ad observandam const. *Quasi lignum* compellerent, edixit. Quindecim dierum spatio ab huius receptione transacto, nisi praefati Magistri eosdem Fratres ac auditores receperint, Pontifex in contumaces animadvertit sententia suspensionis ab officiis et beneficiis.

Fatendum tamen Apostolicam hanc constitutionem nequaquam animos placasse, quinimo ad pugnam acrius excitasse. (1) Magistri siquidem male ferentes regularium, praecipue Praedicatorum, consortium, ac facultatis theologicae nostris demandatae ruinam assidue meditantes, quasi belli signo accepto, statim fere unanimiter, nedum in Praedicatores, verum et in Summum Pontificem insurrexerunt.

Guillelmus Sanctamoranus persecutionis vexillum alte levavit. Edito eo anno tractatu "*De periculis novissimorum temporum*," et Praedicatores cum aliis religiosis oblinere calumniis, et Sedem ipsam Apostolicam probris temerare non est veritus. (2) Hunc autem veluti plaudentes sequuti sunt quidam Magistri Parisienses, qui gratuita prorsus calumnia palam FF. nostros vulgarunt auctores libelli cui titulus "*Evangelium Aeternum*," iam longe ante censura explosi. (3)

Guillelmus vero sociique, ne const. *Quasi lignum* exequerentur pro viribus conabantur. Alexander autem IV, d. 7 Decembris, Cancellario Parisiensi iussit, ut, non obtemperantibus praefatae constitutioni licentiam omnem in aliqua facultate docendi adimeret, Episcopis vero Aurelianensi et Antissiodorensi, ut nominatim excommunicatione plecterent eiusdem const. violatores, atque, tertio elapso die, ab officiis, beneficiisque hos prorsus amoverent, nisi infra dies quindecim eidem constitutioni paruerint. (4) Proximo vero anno, idem Alexander IV pro Praedicatoribus contra Parisienses Magistros fortissime stetit, Ordinemque nostrum multiplici victoriae trophaeo erexit. Episcopo enim Parisiensi, ut in Magistros ac Scholares Universitatis, qui duris Praedicatores insequuti erant, excommunicationem fulminarent praecepit const. *De quibusdam* d. 3 Martii 1256, ac, octo post dies Cancellario Parisiensi ut S. Thomam licentia iam donatum ad regendi principium admitteret const. *Delectabile*, dum maxima fervebat contra nostros persecutio, scripsit. Sed et nostris pacis commoda suis iuribus omnino praeferentibus, Alexander eidem Episcopo const. *Cunctis processibus* d. 17 Iunii foederis nostrates inter et Parisienses Magistros initi rescissionem, const. autem *Licet olim* d. 27 eiusdem mensis observantiam const. *Quasi lignum* imposuit.

Pugnandi nocendique ardore ac audacia Magistrorum Universitatis succrescentibus adhuc, Alexander Pontifex haud immoratus est,

---

(1) Du Bulay. Op. cit. ib. passim.
(2) Denifle Op. cit. ib. p. 296 in nota.
(3) Denifle Op. cit. ib. p. 272, n. 243; Echard Op. cit. ib. p. 195 sq. et Mortier Op. cit. ib. p. 464 sq.
(4) Cfr. Bull. Ord. loc. cit p. 289 sqq.

quin in ipsos huius turbulentae persecutionis fautores durissime animadverteret. Regi enim Galliae const. *Vera fidei*, sub diem 27 eiusdem Iunii, mandavit ut Guillelmum Sanctamoranum, Odonem de Duaco Doctores Theologos, Nicolaum Decanum de Barro et Christianum Canonicum Belvacensem exilio plectere non omitteret: ex quibus vero Guillelmum et Christianum, utpote in contumacia potiores, monuit in carcere interim detrudendos. (1)

Quum autem libellus *De periculis novissimorum temporum* odio, calumniis, probrisque scatens iam Pontifici fuisset delatus, pro suo is erga Praedicatores et Minores amore, Ananiae, Cardinalium senatum constituit, qui censorum munere librum infandum serio discuterent. Erant vero Cardinales selecti: Odo de Castro Radulphi Episcopus Tusculanus, Ioannes Franciscus tit. S. Laurentii in Lucina, Fr. Hugo de S. Charo O.P. tit. S. Sabinae, et Ioannes Cajetanus tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano. Quo autem praefati Ordines quorum ruinam unice moliebantur hostes, fortius consisterent, alumnos praestantiores ad curiam apostolicam miserunt. Ex Ordine Praedicatorum Magister Humbertus de Romanis cum Alberto Magno ac Thoma de Aquino defensores aderant, ex Minorum vero Minister Ordinis Ioannes de Parma et Fr. Bonaventura. (2)

Perlecto, examinato, atque a d. Thoma prorsus confutato pernicioso tractatu, Alexander IV statim damnandum censuit; ac diplomate *Romanus Pontifex*, die 5 Octobris 1256 edito, damnatum solemniter Ecclesiae universae denuntiavit. Insuper const. *Caelestis ille*, d. 23 subsequentis Maii, selectissimis verbis praeconia Ordinis dicens, inimicorum calumnias detexit coram omnibus Ecclesiae Praelatis, impugnavitque. (3) Sed et const. *Cum propter*, d. 9 Augusti, Guillelmum de Sancto Amore in exilium depulit, eique tum docendi, tum praedicandi munus penitus interdicens, ne in Galliam amplius rediret, omnem operam adhibuit. Imo Parisiensi atque Bononiensi Episcopis, necnon et aliis Praelatis imposuit ut sententiam in Guillelmum latam publice promulgandam curarent, utque tandem omnis conniventiae speciem adimeret, sub excommunicatione ipso facto incurrenda, quominus cum Sanctamorano Parisienses communicarent, prohibuit. (4)

Sic ergo Pontifex, hostibus Praedicatorum iam profligatis, pacem, concordiamque restituit, atque, eo auspice, Praedicatores triumpho laetantes, iura sibi vindicata in Universitate Parisiensi theologicis di-

(1) Bull. Ord. loc. cit. pp. 296, 298, 306, 308 et 311.
(2) Mortier Op. cit. ib. p. 470 sq.
(3) Bull. Ord. loc. cit., pp. 317 sq., 338 et T VIII, Tit. I, Qu. I, LXXXIII, p. 13 sq.
(4) Bull. Ord. loc. cit. pp. 317 sq., 338, 346, 348 sq., 353 sq., 375.

sciplinis incumbentes pacifice exercere incoeperunt. Cuius quidem pacis ac victoriae bona nuntia, Alexandri PP. IV strenua defensione favente, Capitulum Generale Ordinis nostri Tolosae celebratum a. 1258 Fratribus remittenda curavit. Namque biennio ante, cum in nostros adhuc fureret turbo, Comitiis Ordinis audacter inter vel medios hostes Parisiis coactis, ita Patres caelestis auxilii implorandi causa edixerant : "Volu- " mus ut qualibet septimana, dicantur in quolibet conventu vii. psalmi " cum letania (1) a fratribus prostratis, cum oracione de beata vir- " gine, et beato Dominico, ut Ineffabilem cum versiculis pro bono " statu ordinis, quousque hoc fuerit revocatum." (2) In praefato Capitulo Tolosano has preces, cessata utique persecutione, Patres revocare ita censuerunt: " Fratres possunt amodo cessare a vii psalmis et letania di- " cendis in epdomada. " (3)

Hanc autem pacem turbare quodammodo licet ausus fuerit quidam Guillotus nomine, Picardus natione, qui d. Thomae Aq. sermonem habenti publice iniuriam irrogarat, defensor tamen Ordinis Alexander PP. IV statim iniuriam ulciscendam ratus, const. *Ex alto* d. 26 Iunii 1259 Episcopo iussit Parisiensi ut Guillotum, pacis turbatorem,

---

(1) Hic de Litaniis Praedicatorum peculiaribus sermo est, quae propter efficaciam olim celeberrimae erant. His precibus utebantur Fratres nostri, quoties tribulatio Ordini imminebat. Tantaque praeditae virtute dicebantur, ut mortem Innocentii IV repentinam, revocationem constitutionis qua Pontifex ipse privilegia Ordinis cassaverat, victoriam de Parisiensi Universitate nedum Praedicatores hisce litaniis tribuerent, sed et ipsi maiores Ecclesiae praelati; quippe id apud Cardinales vulgatum habebatur, qui "dicere solebant in quodam sola- " tio: Cavete a litaniis fratrum Praedicatorum, quia mirabilia faciunt. " (Cfr. Chronicon Mag. Gen. Ord. in Append. ad Constitutiones Romae edit. 1690 p. 23.)

Huiusmodi Litaniae habentur in Collectario Ordinis, veteri scilicet codice mss. pergameno, quod, ineunte saec. XVI, Soror Angela Ruccellaia Monasterii S. Iacobi Ripulitani prope Florentiam sua manu exaravit.

Has autem, quae mihi cognitae, habuerunt editiones: Urbevetanam anno 1861, Vallis Pompeianae a. 1892, Volaterrarum a. 1910, ac Florentinam a 1915.

(2) Acta Cap. Gen. edit. cit. p. 82 sq.

(3) Acta Cap. Gen. edit. cit. p. 92 sq.

Rationem huius B. Humbertus de Romanis, qui huic Capitulo praesidebat, refert literis ex eodem Capitulo missis, dicens: "Superna providencia... in omni " tribulacione consolatur dulciter, iuvat potenter et abbreviat dies malos; quod " quidem experiencia nos docuit hiis diebus. Ecce enim, dilectissimi fratres, " in persecucionibus multis et gravibus, longe lateque diffusis, quas in ser- " vicio Christi, pro nostro modulo laborantes, passi sumus hiis temporibus, " preter consolacionem, que intrinsecus in multorum cordibus est diffusa, " quantum consolatus est nos benignus merencium consolator in favore, quem " beatissimus papa noster, cardinalium cetus, sublimitas christianissimi regis " Francorum Ludovici, aliaque innumera multitudo deo devotorum fidelium, ipso " inspirante, nobis in nostris vexacionibus prestiterunt ! Animadvertite, queso, " quale non in terris solum, sed et in celis adiutorium habuimus ab illis, quos " patronos habemus in illa curia singulares ! Quis enim discredat, quin re- " gina Hester, advocata dico nostra virgine gloriosa, et Mardocheo nostro,

censura protinus devinceret, officio privaret, ac ab urbe perpetuo repelleret. Deinceps Praedicatorum hostes serio factorum, eventuumque infaustum sibi ordinem perpendentes, veniam ultro petere a Summo Pontifice decreverunt, quam ille per Episcopum eumdem benigne concessit, edito diplomate *Tua Nobis* die 3 Decembris 1260, (1) quod quidem veluti insigne postremumque initae pacis, obtentique triumphi monumentum, Alexandro IV opem Praedicatoribus ferente, merito censetur.

Praeclari igitur huius Pontificis nomen cordibus FF. Praedicatorum, ob illustre potentissimumque contra adversarios patrocinium, perpetuo manebit insculptum; idque Ordo noster, tantae defensionis memor, gratissime ubique praeferet, uti gloriosum certe sibi insigne, auro praetiosius pulcriusque adamante. (2)

---

" scilicet beato Dominico, procurantibus apud beatitudinem summi regis, populi " sui liberacionem, conservati simus et a vexacionibus expediti? Conside- " rate, quam cito pius dominus, qui nos dereliquisse videbatur ad punctum, " post tempestatem tranquillum fecit, ventis et mari imperans, in succursum " fere periclitantis navicule sua dominacione mitigans fluctus eius. "

(1) Bull. Ord. loc. cit. pp. 376 sq. et 400.

(2) Si lector desideret adhuc ulteriora testimonia, quibus ab Alexandro PP. IV Ordinis Praedicatorum adversus Parisienses Magistros suscepta defensio magis magisque firmatur, adeat, quaeso, Bull. Ord. loc. cit. passim.

# APPENDIX A

Fac-simile diplomatis incip. "*Religiosam vitam*" quo Honorius PP. III die 22 Decembris 1216 Ordinem FF. Prædicatorum solemniter confirmavit.

Honorius ep̃s seruorum dei. dilectis filiis . . . prior Tarasconen. et Tolosan. canonicis ac fratribus eorum presentibus atq; futuris regularem uitam professis In perpetuum

Religiosam uitam eligentibus apicem conuenit adesse presidium. ne forte cuiuslibet temeritate uel cuiusq; aut eos a proposito reuocet aut robur quod absit sancte religionis infringat. Ea propter dilecti in domino filij uestris iustis postulationibus clementer annuimus. et ecclam sce Romane Tolosan. in qua diuino mancipati estis obsequio sub beati petri et nostra protectione suscipimus. et presentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum deum et beati augustini regulam in eadem ecclia institutus esse dinoscitur. perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascumq; possessiones quecumq; bona eadem ecclia in presentiarum iuste et canonice possidet. aut in futurum concessione pontificum. largitione regum uel principum. oblatione fidelium. seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci firma uobis uestrisq; successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis. Locum ipm in quo prefata ecclia sita est cum omnibus pertinentijs suis. Ecclam de Prolano cum omnibus pertinentijs suis. Villam de Castendio. cum omnibus pertinentijs suis. Ecclam sce Marie de Lesaura cum omnibus pertinentijs suis. Hospitale Tolosan. quod dicitur Arnaldi Bernardi cum omnibus pertinentijs suis. Ecclam sce Trinitatis de Lobenc. cum omnibus pertinentijs suis. Decimas a Venerabili fre nro Fulcone Tolosan. epo de assensu Capituli sui uobis pia prouida liberalitate concessas. prout in eorundem litteris plenius continetur. Sane noualium uestrorum que propriis manibus uel sumptibus colitis. siue de uestris animalium nutrimentis nullus a uobis decimas exigere uel exorquere presumat. Liceat quoq; uobis clericos uel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conuersionem recipere. et eos absq; contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum uestrorum post factam in ecclia ura professionem sine prioris sui licentia de eodem loco nisi arctioris religionis obtentu discedere. Discedentem uero absq; communium litterarum uestrarum cautione nullus audeat retinere. In parrochialibus uero ecclijs quas habetis liceat uobis sacerdotes eligere et diocesano epo presentare quibus si idonei fuerint epc curam animarum committat. ut ei de spualibus uobis uero de temporalibus debeant respondere. Statuimus preterea ut nulli liceat ecclie ure nouas et indebitas exactiones imponere aut in uos uel in predictam ecclam uestram sine manifesta et rationabili causa excommunicationis uel interdicti sententias promulgare. Cum autem generale interdictum terre fuerit. liceat uobis clausis ianuis. exclusis excommunicatis et interdictis non pulsatis campanis. suppressa uoce diuina officia celebrare. Crisma uero oleum scm. consecrationes altarium seu basilicarum ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promouendi a diocesano suscipiatis epo siquidem catholicus fuerit. et gratiam et communionem sacrosce Romane sedis habuerit et ea uobis uelit sine prauitate aliqua exhibere. Alioquin liceat uobis quemcumq; malueritis catholicum adire antistitem gratiam et communionem apostolice sedis habentem. qui uestra fretus auctoritate uobis quod postulatur impendat. Sepulturam quoq; ipius loci liberam esse decernimus. ut eorum deuotioni et extremae uoluntati qui se illic sepeliri deliberauerint nisi excommunicati uel interdicti sint. nullus obsistat. Salua tamen iustitia illarum ecclarum a quibus mortuorum corpora assumuntur Obeunte uero te nunc eiusdem loci Priore uel uestrorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu uiolentia preponatur nisi quem fratres communi consensu uel fratrum pars maioris et sanioris consilij secundum deum et beati augustini regulam prouiderint eligendum. Libertates quoq; et immunitates. antiquas et rationabiles consuetudines ecclie uestre concessas et hactenus obseruatas. ratas habemus. et eas uerentes temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo ut nulli omino hominum liceat easdem

ecclam remere pturbare. aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere. minuere. seu quibuslibet uexationibus fatigare. sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salua sedis apostolice auctoritate. et diocesani episcopi canonica iustitia. Siquis igitur in futurum ecclasticam secularemue personam hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit. secunda tertiaue commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit. potestatis honorisq; sui dignitate careat reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri ihu xpi aliena fiat. atq; in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri ihu xpi. quatinus et hic fructum bone actionis percipiant. et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen

Ego Honorius Catholice ecclie epc

Ego Cinthius tit. sce Laurentij in lucina pbr cardinalis

Ego leo tit. sce crucis in hierlm presbr card.

Ego Robt. tit. sce Susanne ostiensis epc. presbr card.

Ego Stephs tit. sce pudentiane apostolice sedis pbr card.

Ego Greg. tit. sce anastasie pbr card.

Ego petrus tit. sce Laurentij in damaso pbr card

Ego thomas tit. [illegible] pbr card

Ego nicholaus tusculan epc

Ego Guido prenestinus epc.

Ego hugo ostiensis, velitrens epc;

Ego pelagius albanen epc.

Ego Card. sci Angeli et exercitus Galliae. ducis capis.

Ego Octauianus scor. Sergij et Bachi duac Card.

Ego Johes scte Marie cosmedin et sancti Georgij ad velum aureum diac. card.

Ego Gregorius sce Theodore diac card.

Ego Raynerius scor. gemiani et Cosmedian diac card.

Ego Romanus scor. angeli in foro piscium card.

Ego Stephanus sancte Marie trans tiberim cardinalis

Date Rome apud scm petrum per manum Raineri prioris sce fidei Lucan sce Romane ecclie vicecancellarij xj kl. januarij. Indict. v. Incarnationis dnice anno cc xvij. Pontificatus uero domini Honorij pp tercij. anno primo.

# APPENDIX B

SERIES FF. PRÆDICATORUM, QUI PRIMO ORDINIS SÆCULO, ID EST, AB ANNO MCCXVI AD ANNUM MCCCXVI, AD SACRÆ HIERARCHIAE DIGNITATES EVECTI SUNT. (1)

(1) Horum seriem ex Ordinis Bullario TT. I, II, et VII, ex Fontana Op. cit. et Echardo op. item cit. exhibebimus; fontes vero, quas brevitatis gratia silentio praeterire suademur, ibidem reperiet lector. Si quae tamen emendanda occurrerint, ea libenter emendemus.

# S. R. ECCL. CARDINALES (1)

| | | |
|---|---|---|
| 1. | Fr. Hugo de S. Charo Presb. Card. tit. S. Sabinae ab Innocentio IV | creatus a. 1244. |
| 2. | Fr. Annibaldus de Annibaldis Presb. Card. tit. XIII Apost. ab Urbano IV (2) | ,, ,, 1262. |
| 3. | Fr. Petrus de Tarantasia Episc. Ostiensis et Veliternus a Gregorio X (3) | ,, ,, 1273. |
| 4. | Fr. Latinus de Malabranca Episc. Ostiensis et Veliternus a Nicolao III | ,, ,, 1278. |
| 5. | Fr. Robertus Kilwardbius Episc. Portuensis a Nicolao III | ,, ,, ,, |
| 6. | Fr. Hugo Aicelinus de Billon Presb. Card. tit. S. Sabinae a Nicolao IV (4) | ,, ,, 1288. |
| 7. | Fr. Nicolaus Bocasinus de Tarvisio Presb. Card. tit. S. Sabinae a Bonifacio VIII (5) | ,, ,, 1298. |
| 8. | Fr. Nicolaus Albertinus Pratensis Episc. Ostiensis et Veliternus a Benedicto XI | ,, ,, 1303. |
| 9. | Fr. Guillelmus Mackelelfield Anglus Presb. Card. tit. S. Sabinae a Benedicto XI (6) | ,, ,, ,, |
| 10. | Fr. Gualterus de Winterburn Presb. Card. tit. S. Sabinae a Benedicto XI | ,, ,, 1304. |
| 11. | Fr. Thomas de Jorz Presb. Card. tit. S. Sabinae a Clemente V | ,, ,, 1305. |
| 12. | Fr. Nicolaus de Freauvilla Gallus Presb. Card. tit. S. Eusebii a Clemente V | ,, ,, ,, |
| 13. | Fr. Guillelmus Petri de Godino Presb. Card. tit. S. Caeciliae a Clemente V (7) | ,, ,, 1312. |

---

(1) De Cardinalibus Ord. Praed. ad saeculum tertium decimum attinentibus, hactenus iam plura diffuse scripsimus articulis successivis in ephemeride Provinciae nostrae, cui titulus: Ir-Rusariu Imkaddes, extantque fasc. 10 anni 1913, fasc. 8, 9, 10 et 11 an. 1914, atque fasc. 1, 2, 6, 7, 8, 9, 10 et 12 anni 1915. Si lector velit, consulat.

(2) In Bull. Ord. T. I p. 447 annum 1261 adsignatur, at Eubel: Hierarchia Catholica I, Monasterii 1818, p. 8. anno subsequenti favet, cui suffragramur.

(3) Hic inter Praedicatores primus fuit, qui Petri Cathedram ascenderet: modo Beatorum honore in Ecclesia colitur.

(4) A S. Caelestino V ad Episcopatum Ostiensem ac Veliternum promotus est anno 1294, post obitum Card. Latini de Malabranca, ut suo loco dicetur.

(5) Serius ab eodem Pontifice Episcopus Ostiensis et Veliternus creatus est. Secundus hic fuit ex Familiae nostrae alumnis, qui Summus Pontifex renuntiatus fuerit: hodie Beatorum quoque cultu pollet.

(6) Titulum huius Card. Trivetus apud Echardum op. cit. ib. p. 493 exhibet.

(7) Postea vero, anno 1317, Episcopus Sabinensis evasit, Ioanne XXII promovente.

# PATRIARCHAE

1. Fr. Elias Robertus Regiensis Patr. Antiochenus a Gregorio IX — creatus a. 1240.
2. Fr. Christianus Patr. Antiochenus ab Innocentio IV — ,, ,, 1248. circ.
3. Fr. Angelus Maltraversus Patr. Gradensis ab Alexandro IV — ,, ,, 1255.
4. Fr. Humbertus de Romanis Patr. Ierosolymitanus (1) ab Urbano IV (2) — ,, ,, 1261. circ.
5. Fr. Bartholomaeus de Bragantiis Patr. Ierosolym. ab Urbano IV — ,, ,, 1270. circ.
6. Fr. Thomas Agni de Lentino Patr. Ierosolym. a Gregorio X — ,, ,, 1272.
7. Fr. Ioannes de Vercellis Patr. Ierosolym. a Nicolao III (3) — ,, ,, 1278.
8. Fr. Palmerius Eugubinus Patr. Ierosolym. a Nicolao III (4) — ,, ,, 1279.
9. Fr. Nicolaus de Ancinis Patr. Ierosolym. ab Honorio IV — ,, ,, 1285.
10. Fr. Nicolaus de Hanapis Patr. Ierosolym. a Nicolao IV — ,, ,, 1288.
11. Fr. Isnardus Patr. Aquilejensis a Nicolao IV — ,, ,, ,, circ.
12. Fr. Laurentius de Parma Patr. Gradensis a Nicolao IV — ,, ,, 1289.
13. Fr. Radulphus de Grandi-Villa Patr. Ierosolym. a S. Caelestino V — ,, ,, 1294.
14. Fr. Ægidius Ferrariensis Patr. Gradensis a Bonifacio VIII — ,, ,, 1295.
15. Fr. Radulphus de Grandi-Villa Patr. Constantinopolitanus a Benedicto XI — ,, ,, 1304.
16. Fr. Ægidius Ferrariensis Patr. Alexandrinus a Clemente V — ,, ,, 1308.
17. Fr. Isnardus Tacconus Patr. Antiochenus a Clemente V — ,, ,, 1311.
18. Fr. Paulus Gualduccius de Pilastris Patr. Gradensis a Clemente V — ,, ,, 1313.

---

(1) Cfr. Echardum Op. cit. ib. pp. 142 et 256.

(2) Electus quidem, sed non fuit consecratus, quippe dignitatem omnino respuit. Sic habet ex Salanhaco et Bernardo Guidonis Echardus loc. mox cit.

(3) Electus quoque at minime consecrationem accepit, Patriarchatui enim nuntium remisit.

(4) "Vix renunciatus cessit oneri, et honori, et caelos petiit." Ita Auctor Bull. T. I, p. 572.

# ARCHIEPISCOPI

| | | |
|---|---|---|
| 1. Fr. Bernardus Polonus Arch. Haliciensis in Russia Nigra a Gregorio IX (1) | creatus a. | 1233. |
| 2. Fr. Stephanus Hispanus Arch. Arborensis in Sardinia a Gregorio IX | ,, ,, | 1236. |
| 3. Fr. David Mac-Kellius Arch. Cassiliensis in Hibernia a Gregorio IX | ,, ,, | 1237. |
| 4. Fr. Stephanus Arch. Turritanus in Sardinia a Gregorio IX | ,, ,, | 1238. circ. |
| 5. Fr. Vido Graecus Arch. Colossensis in Insula Rhodia a Gregorio IX | ,, ,, | ,, |
| 6. Fr. Henricus Arch. Armachanus in Hibernia ab Innocentio IV (2) | ,, ,, | 1245. circ. |
| 7. Idem Arch. Prussiae, Livoniae et Estoniae ab Innocentio IV | ,, ,, | 1246. |
| 8. Fr. Raynoldus Arch. Armachanus in Hibernia ab Innocentio IV | ,, ,, | 1247. |
| 9. Fr. Raymundus Lozana Arch. (3) Hispalensis in Hispania ab Innocentio IV | ,, ,, | 1248. circ. |
| 10. Fr. Dominicus Senensis Arch. Calaritanus in Sardinia ab Innocentio IV | ,, ,, | 1250. circ. |
| 11. Fr. Angelus Maltraversus Arch. Candiensis in Creta Insula ab Innocentio IV | ,, ,, | 1252. |
| 12. Fr. Marinus Filamarinus Arch. Capuanus in Regno Neapolitano ab Innocentio IV | ,, ,, | ,, |
| 13. Fr. Henricus Filangerius Arch. Barensis ab Innocentio IV | ,, ,, | ,, |
| 14. Fr. Ioannes de Columna Arch. Messanensis in Sicilia ab Alexandro IV | ,, ,, | 1255. |
| 15. Fr. Petrus Polonus Arch. Gnesnensis in Polonia ab Alexandro IV | ,, ,, | 1260. |
| 16. Fr. Patritius Scanlain Arch. Armachanus in in Hibernia ab Urbano IV | ,, ,, | 1261. |
| 17. Fr. Dominicus Senensis Arch. Coloniensis in Germania ab Urbano IV | ,, ,, | 1262. |
| 18. Fr. Iacobus Arch. Tranensis in Regno ab Urbano IV | ,, ,, | 1263. |
| 19. Fr. Thomas Agni de Lentino Arch. Consentinus in Calabria a Clemente IV | ,, ,, | 1267. |
| 20. Fr. Laurentius Arch. Acheruntinus et Materanus in Regno a Clemente IV | ,, ,, | ,, |

(1) Vel serius ab Innocentio IV. Cfr. Bull. T. VII, p. 511.

(2) Heic ex Bull. Ord. addendus foret uti Archiep. Lugdunensis Fr. Hugo de S. Charo, at quum episcopali consecratione numquam Hugonem nostrum fuisse inunctum hodie sit certum, expungendus prorsus videtur.

(3) Vel saltem huius Ecclesiae Administrator, ut habet Bull. Ord. T. I. p. 256.

21. Fr. Ioannes e Sancto Messano Arch. Tyrius in Syria a Clemente IV — creatus a. 1267.
22. Fr. Iacobus de Viterbio Arch. Tarentinus in Regno a Gregorio X (1) — ,, ,, 1270.
23. Fr. Petrus de Tarantasia Arch. Lugdunensis in Gallia a Gregorio X — ,, ,, 1272.
24. Fr. Reginaldus de Lentino Arch. Messanensis in Sicilia a Gregorio X — ,, ,, ,,
25. Fr. Petrus de Confleto Arch. Cyrensis in Syria a Gregorio X — ,, ,, ,, circ.
26. Fr. Bonacursius Ultramarinus Arch. Tyrius in Syria a Gregorio X — ,, ,, ,,
27. Fr. Robertus Kilwardbius Arch. Cantuariensis in Anglia a Gregorio X — ,, ,, ,,
28. Fr. Guillelmus Peraldus Arch. Lugdunensis in Gallia a Gregorio X — ,, ,, 1273. circ.
29. Fr. Bonifacius Fieschi Arch. Ravennatensis in Romandiola a Gregorio X — ,, ,, 1274.
30. Fr. Guido de Soliaco Arch. Biturícensis in Gallia ab Innocentio V — ,, ,, 1276.
31. Fr. Guillelmus de Morbeka Arch. Corinthius in Peloponneso a Ioanne XXI — ,, ,, 1277. circ.
32. Fr. Martinus Polonus Arch. Gnesnensis in Polonia a Nicolao III — ,, ,, 1278.
33. Fr. Rodericus Gonzales Arch. Compostellanus in Gallaecia a Nicolao III — ,, ,, ,,
34. Fr. Ioannes Derlington Arch. Dublinensis in Hibernia a Nicolao III — ,, ,, 1279.
35. Fr. Laurentius Blondi Arch. Compsanus in Regno a Nicolao III — ,, ,, ,,
36. Fr. Gasparus Adae Archh. Antibarensis in Dalmatia a Nicolao III — ,, ,, ,,
37. Fr. Nicolaus Arch. Tyrius in Syria a Nicolao III — ,, ,, 1280. circ.
38. Fr. Raymundus Arch. Armachanus in Hibernia ab Honorio IV — ,, ,, 1286.
39. Fr. Nicolous Arch..... in Sardinia ab Honorio IV — ,, ,, 1287.
40. Fr. Raynerius de Aquino Arch. Messanus in Sicilia ab Honorio IV — ,, ,, ,, circ.
41. Fr. Hugo Aicelinus de Billon Arch. Lugdunensis in Gallia a Nicolao IV — ,, ,, 1288.
42. Fr. Raymundus de Medullione Arch. Ebredunensis in Delphinatu a Nicolao IV — ,, ,, 1289.
43. Fr. Ivo vel Guido Arch. Nazarenus in Palaestina a Nicolao IV — ,, ,, 1290.

(1) Electus quidem S. Sede vacante, sed confirmatus ab eodem Gregorio X.

44. Fr. Ioannes Arch. Upsalensis in Suecia a Nicolao IV — creatus a. 1291.
45. Fr. Iacobus de Voragine Arch. Genuensis in Liguria a Nicolao IV — ,, ,, 1292.
46. Fr. Matthaeus de Osemo Arch. Corinthius in in Peloponneso a Bonifacio VIII — ,, ,, 1294. circ.
47. Fr. Guillelmus de Hottun Arch. Dublinensis in Hibernia a Bonifacio VIII — ,, ,, 1297.
48. Fr. Ioannes de Polo Arch. Pisanus in Hetruria a Bonifacio VIII — ,, ,, 1299.
49. Fr. Consilius Gattus Arch. Arborensis in Sardinia a Bonifacio VIII — ,, ,, ,,
50. Idem Arch. Compsanus in Regno a Bonifacio VIII — ,, ,, 1300.
51. Fr. Stephanus Mangiatero Arch. Atheniensis in Graecia a Bonifacio VIII — ,, ,, ,, circ.
52. Fr. Dietherius, Teuto, Arch. Trevirensis in Germania a Bonifacio VIII — ,, ,, ,,
53. Fr. Gregorius, Capuanus, Arch. Tarentinus in Regno a Bonifacio VIII — ,, ,, 1301.
54. Fr. Andreas Gezzius Arch. Antibarensis in Albania a Benedicto XI — ,, ,, 1303.
55. Fr. Guido, Cyprius, Arch. Arborensis in Sardinia a Benedicto XI — ,, ,, 1304.
56. Fr. Landulphus Arch. Acheruntinus et Materanus in Regno a Clemente V — ,, ,, 1305.
57. Fr. Gualterus de Jorz Arch. Armachanus in Hibernia a Clemente V — ,, ,, 1306.
58. Fr. Andreas Hungarus Arch. Antibarensis in Dalmatia a Clemente V — ,, ,, ,,
59. Fr. Rostangus de Candola Arch. Naupactensis in Achaja a Clemente V — ,, ,, 1307.
60. Fr..... Arch. Hidruntinus in Regno a Clemente V — ,, ,, ,, circ.
61. Fr. Martinus Bononiensis Arch. Armachanus in Hibernia a Clemente V — ,, ,, ,,
62. Fr. Isnardus Tacconus Arch. Thebanus in Boeotia a Clemente V — ,, ,, 1308.
63. Fr. Robertus Arch. Acheruntinus et Materanus in Regno a Clemente V — ,, ,, ,,
64. Fr. Otto, Pisanus, Arch. Arborensis in Sardinia a Clemente V — ,, ,, ,,
65. Fr. Ioannes de Polo Arch. Nicosiensis in Cypro a Clemente V — ,, ,, 1312.
66. Fr. Ioannes de Podio Arch. Ebredunensis in Delphinatu a Clemente V — ,, ,, ,,

67. Fr. Otto, Pisanus, Arch. Pisanus in Hetruria a Clemente V creatus a. 1312.
68. Fr. Nicolaus de Setia Arch. Jaderensis in Illyrico a Clemente V ,, ,, ,,
69. Fr. Rolandus de Jorz Arch. Armachanus in Hibernia a Clemente V ,, ,, 1313.

## EPISCOPI

1. Fr. Gualterus Mauclerk Ep. Carleolensis sub Arch. Eboracensi in Anglia ab Honorio III creatus a. 1223.
2. Fr. Ioannes Danus Ep. Burglaviensis sub Arch. Lundensi in Jutia Septentionali ,, ,, .....
3. Fr. Dominicus Hispanus Ep. Baëcensis sub Arch. Toletano in Baetica a Gregorio IX ,, ,, 1227.
4. Fr. Theodoricus Ep. Cumanorum ,, ,, ,,
5. Fr. Guala Bergomas Ep. Brixiensis sub Arch. Mediolanensi in Italia a Gregorio IX ,, ,, 1229.
6. Fr. Berengarius Polonus Ep. Cracoviensis sub Arch. Gnesnensi in Polonia a Gregorio IX ,, ,, 1230.
7. Fr. Paulus Hungarus Ep. in Hungaria a Gregorio IX ,, ,, ,,
8. Fr. Raymundus de Falgario Ep. Tolosanus in Occitania a Gregorio IX ,, ,, 1232.
9. Fr. Hugolinus Ariminensis Ep. Ariminensis sub Arch. Ravennatensi in Italia a Gregorio IX ,, ,, ,,
10. Fr. Ioannes Wildeshusen Ep. Bosnensis in Hungaria a Gregorio IX ,, ,, ,,
11. Fr. Gerardus Episc. Ruthenorum in Russia Nigra a Gregorio IX ,, ,, ,,
12. Fr. Clemens Scotus Ep. Dumblanensis sub Arch. Andreapolitano in Scotia a Gregorio IX ,, ,, 1233.
13. Fr. Albertus de Boschetis Ep. Mutinensis sub Arch. (tunc) Ravennatensi in Italia a Gregorio IX ,, ,, 1234.
14. Fr. Dominicus Ep. Reatinus in Italia, S. Sedi immediate subiectus ,, ,, 1235.
15. Fr. Iacobus e Castro Arquato Ep. Mantuanus sub Patr. Aquilejensi in Italia a Gregorio IX ,, ,, ,,
16. Fr. .....Ep. in Prussiae partibus (1) a Gregorio IX ,, ,, 1236.
17. Fr. ..... ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,
18. Fr. ..... ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,
19. Fr. David Mac-Kellius Ep. Clonensis sub Arch. Cassiliensi in Hibernia a Gregorio IX ,, ,, 1237.

---

(1) Gregorius PP. IX literis datis Interamne d. 30 Maii 1236, Guillelmo Episcopo Mutinensi atque Apostolicae Sedis Legato praecepit, ut tres Fratres ex Ordine Praedicatorum Episcopos ad Prussiae partes destinandos constitueret. Cfr. Bull. TT. I p. 114 et VII p. 510.

20. Fr. ..... Ep. Marrochitanus in Marrochio a Gregorio IX creatus a. 1237. circ.
21. Fr. Ponsa Ep. Bosnensis in Hungaria a Gregorio IX ,, ,, 1238.
22. Fr. Elias Robertus Regiensis Ep. Brixiensis sub Arch. Mediolanensi in Italia a Gregorio IX ,, ,, 1239.
23. Fr. Meynardus Polonus Ep. Livoniae a Gregorio IX ,, ,, 1240.
24. Fr. Alanus o Sullivan Ep. Clonensis sub Arch. Cassiliensi in Hibernia a Gregorio IX ,, ,, ,,
25. Fr. Gregorius Florentinus Ep. Fanensis in Italia, S. Sedi immediate subjectus a Gregorio IX ,, ,, ,,
26. Fr. Rogerius Calcagnus Ep. Castrensis in Italia, S. Sedi immediate subjectus a Gregorio IX ,, ,, ,,
27. Fr. Raymundus Isnardi Ep. Grassensis sub Arch. Ebredunensi in Gallo-Provincia a Gregorio IX ,, ,, ,,
28. Fr. Michael Fabra Ep. Valentinus in Hispania Tarraconensi a Gregorio X ,, ,, ,,
29. Fr. Ægidius S. P. Dom. discipulus Ep. Tolosanus in Occitania a Gregorio IX ,, ,, ,,
30. Fr. Everardus Ep. Brixiensis sub Arch. Mediolanensi in Italia a Gregorio IX ,, ,, ,,
31. Fr. Nicolaus Hungarus Ep. in Hungaria a Gregorio IX ,, ,, ,, circ.
32. Fr. Simon Glisco Ep. Maglonensis sub Arch. Narbonensi in Occitania a Gregorio IX ,, ,, 1241.
33. Fr. Ioannes Hungarus Ep. in Hungaria a Gregorio IX ,, ,, ,,
34. Fr. Raymundus Londinensis Ep. Gritisensis in Anglia ab Innocentio IV ,, ,, 1242. circ.
35. Fr. Petrus Remensis Ep. Aginnensis sub Arch. Burdigalensi in Gallia ab Innocentio IV ,, ,, ,,
36. Fr. Iacobus e Castro Arquato Ep. Vintimiliensis sub Arch. Mediolanensi in Italia ab Innocentio IV ,, ,, 1244.
37. Fr. Iacobus Boncambius Ep. Bononiensis in Italia ab Innocentio IV ,, ,, ,,
38. Fr. Valerius Venetus Ep. Tarvisinus sub Patr. Aquilejensi in Italia ab Innocentio IV ,, ,, 1245.
39. Fr. Guarnerius Ep. Pomezaniane in Prussia ab Innocentio IV ,, ,, ,,
40. Fr. Henricus Ep. Culmensis sub Arch. Gnesnensi in Polonia ab Innocentio IV ,, ,, ,,
41. Fr. Henricus Ep. Chienensis in Salzeburgensi Provincia ab Innocentio IV ,, ,, 1246.
42. Idem Ep. Lubicensis in Saxonia inferiori ab Innocentio IV ,, ,, 1247. circ.

43. Fr. Raynerius Lombardus Ep. Magalonensis sub Arch. Narbonensi in Occitania ab Innocentio IV — creatus a. 1247.
44. Fr. Robertus Hispanus Ep. Sylvensis in Algarviis ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
45. Fr. Guillelmus Ep. Anteradensis sub Patr. Antiocheno in Phaenice maritima ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
46. Fr. Guillelmus Barberanus Ep. Ilerdensis sub Arch. Tarraconensi in Catalonia — ,, ,, ,,
47. Fr. Berengarius de Castel-Bisbal Ep. Valentinus in Hispania Tarraconensi ab Innocentio IV — ,, ,, 1248.
48. Idem Ep. Gerundensis in Catalonia ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
49. Fr. ..... Ep. Barchinonensis in Catalonia ab Innocentio IV — ,, ,, ,, circ.
50. Fr. Andreas de Albalate Ep. Valentinus in Hispania Tarraconensi ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
51. Fr. Alanus O Sullivan Ep. Limorensis sub Arch. Cassiliensi in Hibernia ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
52. Fr. Vincentius Bellovacensis Ep. Bellovacensis sub Arch. Remensi in Gallia ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
53. Fr. Thomas Anglus Ep. Aboensis sub Arch. Upsalensi in Finlandia ab Innocentio IV — ,, ,, ,, circ.
54. Fr. Guido de Turre Ep. Claromontanus sub Arch. Bituricensi in Gallia ab Innocentio IV — ,, ,, 1250.
55. Fr. Ioannes Hungarus Ep. Scardonensis sub Arch. Spalatensi in Dalmatia ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
56. Fr. Iacobus Ep. Tudertinus in Umbria, S. Sedi immediate subjectus ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
57. Fr. Florentius Ep. Narniensis in Umbria, S. Sedi immediate subjectus ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
58. Fr. Paulus Polonus Ep. Posnaniensis sub Arch. Gnesnensi in Polonia ab Innocentio IV — ,, ,, ,, circ.
59. Fr. Algivisius Pergamensis Ep. Ariminensis sub Arch. Ravennatensi in Italia ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
60. Idem Ep. Bergomensis sub Arch. Mediolanensi ab Innocentio IV — ,, ,, 1251.
61. Fr. Humbertus, Lugdunensis, Ep. Sistaricensis sub Arch. Aquensi in Provincia ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
62. Fr. Bartholomaeus de Bragantiis Ep. Nimociensis sub Arch. Nicosiensi in Cypro Insula ab Innocentio IV — ,, ,, 1252.
63. Fr. Rogerius de Lentino Ep. Melphiensis in Regno, S. Sedi immediate subjectus ab Innocentio IV — ,, ,, ,,

64. Fr. Gotifredus Ep. Torcellanus sub Patr. Veneto ab Innocentio IV — creatus a. 1252.
65. Fr. Petrus de Terracina Ep. Caietanus in Regno, S. Sedi immediate subjectus ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
66. Fr. Gregorius de Lentino Ep. Melphitensis in Regno, S. Sedi immediate subjectus ab Innocentio IV — ,, ,, ,, circ.
67. Fr. Vittus Polonus Ep. Lithuanorum ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
68. Fr. Bartholomaeus Varellus Ep. Liparensis et Pactensis sub Arch. Messano in Sicilia ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
69. Fr. Thomas Fusconi de Berta Ep. Cephaludensis sub Arch. Messano in Sicilia ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
70. Fr. Petrus Ep. Humarensis sub Arch. Hydruntinus in Regno ab Innocentio IV — ,, ,, 1253.
71. Fr. Pancratius Ep. Bituntinus sub Arch. Barensi in Regno ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
72. Fr. Thomas Fusconi de Berta Ep. Senensis ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
73. Fr. Thomas Balzettus Ep. Senensis ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
74. Fr. Adolphus, Viterbiensis, Ep. Humanatensis in Italia, S. Sedi immediate subjectus ab Innocentio IV — ,, ,, 1254.
75. Fr. Romanus Ep. Albisanus sub Arch. Beneventano in Samnio ab Innocentio IV — ,, ,, ,,
76. Fr. Constantinus Medices Ep. Urbevetanus, S. Sedi immediate subjectus ab Alexandro IV — ,, ,, ,, circ.
77. Fr. Petrus Perez Ep. Salmanticensis sub Arch. Compostellano in Hispania ab Alexandro IV — ,, ,, ,,
78. Fr. Ernestus Prussus Ep. Pomezanensis sub Arch. Rigensi in Prussia Ducali ab Alexandro IV — ,, ,, ,,
79. Fr. Valerius Venetus Ep. Castellanus (id est Venetiarum) ab Alexandro IV — ,, ,, 1255.
80 Fr. Bartholomeus de Benevento Ep. Aleriensis sub Arch. Pisano in Corsica ab Alexandro IV — ,, ,, ,, circ.
81. Fr. Thomas Agni de Lentino Ep. Bethlehemitanus in Iudaea ab Alexandro IV — ,, ,, ,,
82. Fr. Angelus Maltraversus Ep. Ferrariensis sub Arch. Ravennate in Italia ab Alexandro IV — ,, ,, ,,
83. Fr. Bartholomaeus de Bragantiis Ep. Vicentinus sub Patr. Aquilejensi in Italia ab Alexandro IV — ,, ,, 1256.
84. Fr. Galhardus de Ursisaltu, Vasco, Ep. Bethlehemitanus in Iudaea ab Alexandro IV — ,, ,, ,,

85. Fr. Hugo Ep. Ossorensis vel Kilkenniensis sub Arch. Dublinensi in Hibernia ab Alexandro IV creatus a. 1256.
86. Fr. Patritius O Scanlain Ep. Rapotensis sub Arch. Armachano in Hibernia ab Alexandro IV ,, ,, ,,
87. Fr. Berengarius de Peralta Ep. Ilerdensis sub Arch. Tarraconensi in Catalonia ab Alexandro IV ,, ,, 1257.
88. Fr. Iacobus de Mileto Ep. Sebastensis ab Alexandro IV ,, ,, 1258. circ.
89. F..... Ep. Sebastensis ab Alexandro IV ,, ,, 1259.
90. Fr. Henricus Saxo Ep. Osiliensis sub Arch. Rigensi, in Insula ad Livoniam ab Alexandro IV ,, ,, ,,
91. Fr. Morandus de Signia Ep. Calliensis sub Arch. Urbinate, in Umbria superiori ab Alexandro IV ,, ,, ,,
92. Fr. Iacobus de Mileto Ep. Melitensis (1) sub Arch. Panormitano, in eiusdem nominis Insula ab Alexandro IV ,, ,, ,,
93. Fr. Vittus Polonus Ep. Lebussensis, sub Arch. Gnesnensi, in Marchia Brandeburgica ab Alexandro IV ,, ,, ,, circ.

---

(1) Hinc emendandi Scriptores Melitenses, praesertim Ciantar : Malta Illustrata. Malta 1780 Lib. 3, Not. 1, § XV, p. 20 sq. et Ferris: Descrizione Storica delle Chiese di Malta e Gozo. Malta 1866 p. 17., qui in serie Episcoporum Melitensium passim affirmant Fr. Iacobum de Mileto primo Episcopum Melitae fuisse renuntiatum, anno scilicet 1259, inde ad Sebastensem Ecclesiam translatum const. Alexandri PP. IV, edita d. 29 Maii (verius d. 27), sub eodem anno.

Id veritati consonans haud esse videtur. Siquidem fuit Iacobus noster ab eccl. Sebastensi ad Melitensem translatus, cuius quidem translationis argumento est praefata constitutio. Unde miror hoc mendum laudatos Scriptores tam facile invexisse. Mongitor enim, quem secuti sunt, in opere quod inscripsit "Sicilia Sacra" Tom. II Panormi 1733 edito, Melitensis Ecclesiae Notitia VII p. 906, VI, haec habet: "Iacobus de Mileto Ord. Praedicatorum Melitensi " Ecclesiae praeficitur ab Alexandro IV. è Sebastensi Ecclesia translatus 27 Maii " 1259. ex bulla in Archivio Coenobii S. Dominici Neapoli, Fontana in Theatr. " Domin. tom 1. cap. 5. tit. 384. fol. 235. et tit. 539. f. 292. quem sequitur " Jo: Mich. de Cavaleriis in lib. Galleria Domin. tom. 1 Chronol. cent. 1 " fol. 23." Quare constat Mongitorem expressissime, quod praefati Scriptores ea de re tradunt, excipere.

Sed urgendum est. Nam Ciantar ex Mongitore Fontanam adducit loc. mox cit., qui pag. 235 op. Theatr. Domin. ita scribit: "P. F. Iacobus de Mileto " constituitur huius Ecclesiae (scilicet Melitensis) Episcopus ab Alexandro IV. " die 27 Maji EX SEBASTEN. TRANSLATUS pontificatus anno 5. qui fuit salutis " humanae milles. ducentesimus quinquagesimus nonus, ut habetur in Bulla " huiusmodi translationis, quae asservatur in Archivio conventus Regij S. Domi- " nici de Neapoli nobis communicata". Et pag. 292 expressius adhuc : "Pater " F. Iacobus de Mileto Sebastensis Ecclesiae Episcopus effectus est, qui cum " gregem sibi commissum per salutis semitam dirigere curaret, ab Alexandro

94. B. Albertus Magnus Ep. Ratisponensis, sub Arch. Salisburgensi, in Germania ab Alexandro IV — creatus a. 1260.
95. Fr. Benedictus Mirob Ep. Elenensis, sub Arch. Tarraconensi ab Alexandro IV — ,, ,, ,, circ.
96. Fr. Petrus Ep. Plocensis, sub Arch. Gnesnensi, in Polonia inferiori ab Alexandro IV — ,, ,, ,,
97. Fr. Lucas Neapolitanus Ep. Triventinus, sub Arch. (tunc) Beneventano in Samnio ab Alexandro IV — ,, ,, ,,
98. Fr. Herbordus Hungarus Ep. Bergomensis, sub Arch. Mediolanensi in Statu Veneto ab Alexandro IV — ,, ,, 1261.
99. Fr. Nicolaus Fortiguerra Ep. Aleriensis, sub Arch. Pisano, in Corsica ab Urbano IV — ,, ,, 1263.
100 Fr. Iacobus Urbevetanus Ep. Valvensis et Sulmonensis in Regno, S. Sedi immediate subjectus ab Urbano IV — ,, ,, ,,
101. Fr. Guillelmus de Fraxinent, Anglus, Ep. Tripolitanus ab Urbano IV — ,, ,, ,,
102. Idem Ep. Bethlehemitanus in Iudaea (1) ab Urbano IV — ,, ,, ,,
